

Q. D. B. V.

VINDICÆ HISTORICO JURIDICÆ 443
JURIS ROMANI ET ICTORUM
IN GERMANIA 1748, 2.
CONTRA

REFORMATIONEM
DE ANNO MCCCCXL.
FRIDERICO III. IMPERATORI 9
ADSCRIBI SOLITAM,
QUAS
DIVINIS SUB AUSPICIIS,
PRÆSIDE
VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO
ATQUE EXCELLENTISSIMO

DN. JOHANNE MARTINO
SILBERRADIO,

INST. IMP. PROF. PUBL. ORD. CELEBERRIMO,
CAP. THOM. CANONICO MERITISSIMO,
PRÆCEPTORE AC PATRONO SUO
PIE COLENDO

IN ALMA ARGENTORATENSIMUM UNIVERSITATE
AD D. XVII. JUNII A. O. R. MDCCXLIX.
SOLENNITER ASSENDERAS
PROPOSIT

JOH. REINHARDUS KUGLER
ARGENTINENSIS, AUCTOR.
H. L. Q. C.

ARGENTORATI,
Typis MELCHIORIS PAUSCHINGERI, Typogr.

ILLUSTRI COLLEGIO
QUOD LARGITIONIBUS
OTTONIANIS
SCHIFFMANNIANISQUE
EXERCENDIS PRÆEST
VIRIS
NOBILITATE GENTIS SUÆ SPLENDORE
MUNERUM RERUM MAXIMARUM PERITIA PRÆ-
STANTIA ERUDITIONIS EXCELLENTI LITTE-
RARUMQUE PATROCINIO INCLYTIS
DE RE CIVITATIS PUBLICA
ECCLESIASTICA ET LITTERARIA
MAXIME MERITIS
DOMINIS
MÆCENATIBUS
ATQUE PATRONIS
OMNI HONORIS ET OBSEQUII CULTU
ÆTERNUM PROSEQUENDIS
HASCE PAGELLAS
UT GRATAM IMMORTALIUM BENEFICIORUM MEMORIAM
PUBLICÉ PROFITERETUR
SEQUE SIMUL ET STUDIA SUA ULTERIORI PATROCINIO
COMMENDARET
SACRAS ESSE VOLUIT DEBUIT
AUCTOR.



PRÆFATIO.


 Uantumcunque olim laudis, honoris, dignitatis, autoritatisque J^Ctorum Ordini conulerint Romanorum fere singuli, privati æque ac Principes, tanto econtrario contemtu ac odio ipse recentiori ævo a multis exceptus, & tantum non libero cuiusvis ludibrio expositus fuit: adeo quidem, ut etiam mos conviciandi in proverbium plane abierit, suo tenore satis declarans, quod non tam virtus J^Ctorum quam ipsam omnino Jurisprudentiam, tanquam causam illorum proximam ac primariam culpandam censeat. Cum autem absurdia hæc sententia non nisi ex crassâ egregiâ artis ignorantia, vel atra saltem invidia descendere possit, inde, qui eam amplectuntur, ne has notas justa censura incurrerent, ipsa plane publica Legum autoritate in temeritatis sue partes vocata, odium istud iniquum vel defendere vel excusare conantur. Magno nimirum clamore provocant ad famosum illud *C. Super Specula. 28. X. de Privil. & Excess. privil.* quo omnino sub Excommunicationis poena prohibitum fuisse dicunt, ne quis in univerſa Gallia Jurisprudentiam Romanam, quæ ibi *Civilis uar' ἐξοχὴ* recte dicitur, docere vel audire præsumat: & hanc prohibitionem postea in Constitutionis Bleſſensis (^a) Articulo LXIX. repetitam ac confirmatam fuisse

A

afferunt.

(^a) quæ regnante HENRICO III. in Conventu Ordinum Regni Gallie Bleſſis a. 1579. facta fuit.

afferunt. Sed multo majore adhuc strepitu incertam quan-
dam REFORMATIONEM Friderici III. Imperatoris pro-
ducunt, in cuius Artic. V. & VII. omnes JCTi cum ipso
Jure Romano cunctis Germaniae Tribunalibus ignominiose
ejiciuntur ac proscribuntur ; imo HIPPOLYTHUS A LA-
PIDE eam Legem Imperii appellat , illud tantum dolens,
quod in effectum haec tenus non fuerit deducta. (b)

Non parum autem laboris inde ac operæ iis creatur,
qui de usu autoritateque Juris Romani hodierna agere insti-
tuunt. Cum enim horum præcipui eam sententiam tueantur ,
quod Jus Romanum autoritatem illam , qua hodienum
apud Gallos æque ac Germanos gaudet , si generaliter eam
consideres, non ex vi Legis proprie sic dictæ, sed sola omnino
nominis sui celebritate initio obtinuerit , & sic ex libe-
ra tantum receptione , tacito primum consensu facta , nos
obliger ; inde ipsi in removendis istis adversariorum objec-
tionibus, quibus Jus Romanum publicis quandoque Le-
gibus expresse improbatum videri posset, gravissime defu-
dere tenentur ; manifesta enim horum inter se pugna est,
Juris istius autoritatem ex tacita deducere receptione , &
tamen exempla publicæ ejus reprobationis agnoscere.

Equidem opera egregia non minus quam felici id jam,
quod ad Galliam attinet, post alios maxime præstítio docti-
simus FERRERIUS , Jurisque Romani perpetuam in Gal-
lia autoritatem contra dicti Capitis 28. vulgarem explicatio-
nem & Constitutionem Blefensem strenue solideque de-
fendit. (c) Verum, quod ad ipsam Germaniam attinet , ne-
mo

(b) In prefatione, quam famosissimo suo libello *de Ratione Status præ-*
mifit. En verba Autoris parum venusta : Optandum itaque foret,
LEGEM IMPERII, que Friderici III. tempore de excludendis tam a
privatis Judicis, quam publicis Consilii, Legiftis sub incude fuit, execu-
tioni fuisse mandatam &c.

(c) In Hist. Jur. Rom. Capp. XXIX. & XXX. Scilicet C. XXIX. ipse
compluribus argumentis probat, quod C. 28. X. de Privil. & Excell.
privil.

mo haec tenus, quantum quidem mihi constat, Reformatio-
nis paulo ante dictæ refutationem justo, prout ipsa res ex-
poscit, opere aggressus fuit: quamvis non potuerit non
quilibet facile peripicere, quod, ea salva, communis illa
sententia de tacita Juris Romani in Germania receptione,
si non plane corruat, dubia saltem maximeque incerta red-
datur. Unde etiam plerique DD. ut huic incommodo me-
delam afferrent, eam generaliter ita explicare solent: quod
non omnes JCtos & Jura Romana in universum reproba-
se censeri debeat, sed eorum tantum autoritatem, quæ
Frid. III. ætate in patriarcharum Legum non leve damnum jam
ultra modum crevisset, restringere ac coercere voluerit,
promiscuo ipsis ad judicia aditu præcluso. (d) Verum hæc
explicatio locum suum hic minime tuetur. Non tantum
sane immoda illa JCtorum & Juris Romani eo tempore

A 2 auto-

privil. ad solos Clericos ac Monachos restringi debeat, quos Pontifex
cum in finem Jus Civile vel audire vel docere noluit, ne studium
Theologicum ab ipsis, omne tempus atque operam docendo discen-
dove Juri Civili impudentibus, negligenter; conjungendum quip-
pe esse cum C. Super Spec. f. X. Ne Cler. vel Monach. secul. negot. & C.
Super Spec. 5. X. de Magistr. quæ cum illo ex una eademque Epistola
Honori III. desunta esse afferit. Licit vero ex rationibus a GON-
ZALEZIO in not. a. ad Cap. Super Spec. 28. X. de Privil. & Excess.
privil. allegatis graviter dubitari possit, an hoc & C. Super Spec. 5.
X. de Magistr. ex eadem Epistola desunta sint, primaria tamen FER-
RERII assertio, qua in cap. 29. continetur, non minus firme subfi-
stere poterit. Capite mox sequenti XXX. idem porro variis ex ra-
tionibus ostendit, quod Artic. LXIX. Constitutionis Blesensis non ex
ipsis Decretis Statuum in illo Conventu congregatorum sed ex pri-
vatis conatus deducendus sit; pricipue autem refellit minus aptam,
qua in eo habetur, prohibitions rationem: ne scilicet, si in urbe
Gallia primaria Jus Romanum publice doceretur, Rex Gallia eo ipso
se Imperio Romano subjecisse videri posset.

(d) Ita sane sentiunt CONRINGIUS de O. J. G. C. 32. p. 196. CUL-
PISIUS in Differ. Epist. de Germ. LL. Veter. ac Rom. Jur. in republ.
nostr. Orig. & Autor. præf. §. 45. BRUNQUELLUS Hist. Jur. P. III.
M. II. c. X. §. 21. n. b. aliique. Nec multum ab hac sententia re-
motus videtur esse DATTIUS de P. I. P. L. IV. C. I. n. 149. & seqq.

auctoritas conficta magis quam vera videtur, sed ipsa quoque Reformatio JCtos cum Jure Romano plane aliis ex rationibus, quas disertis verbis enumerat, Tribunalibus omnibus excludendos censet, quae cunctæ universalem & absolutam ipsorum reprobationem clare loquuntur, uti eam vel obiter inspicienti apparebit.

Unicum tantum prostat Programma Academicum a doctissimo TABORE, in Universitate nostra Juris quondam Antecessore celeberrimo, occasione Doctoratus Juridici Rutgero Rulando d. XV. Maii Anni MDCXLIX. conferendi conscriptum, in quo ipsa sub examen vocatur, & tanquam supposititia omnique effectu destituta penitus rejicitur. (e) Multum etiam lucis nobis accensum iri speravimus ex meditationibus GEORGII MELCHIORIS THILONIS, (f) BOECLERO, (g) ITTERO, (h) CONRADO SINCERO f. CULPISIO, (i) aliisque laudati. Unde in eo & hic & alibi, tam in scriniis eruditiorum, quam officinis librariorum, eruendo multum studii multumque temporis, gravem rebus nostris ideo moram injicentes, infelici conatu absolumsimus; donec ejus inveniendi & spe & cura tandem protinus abjecta, cum hoc, quicquid est opellæ, jam prelo submissuri essemus, in supellectile libraria a Viro quodam Musis amico relicta, in quam reliquiæ bibliothecarum ab aliquot Viris hic olim eruditione præstantibus & nominis & officii dignitate claris collectarum confluxerant, in qua & alia quædam diu a nobis quæsita invenire licuit, inter Dissertationum Sec. XVI. & XVII. volu-

(e) Servavit illud nobis ITTERUS, suoque tractatu de Grad. & Honor. Academ. inferuit Cap. IX. §. 12.

(f) Qui Sec. superioris a. 49. de Definitione & necessitate Juriconsulti Dissertationem in cathedra Juridica Inaugurali hic loci defendit.

(g) In Animadversionibus ad Hippol. a Lapide. l. c.

(h) De Grad. & Honor. Academ. C. IX. §. II.

(i) In Differ. Epistol. §. 34.

volumina, (k) præter spem in eum incideremus. Mox tamen ejus paginas cupida lectione volentes edocti sumus, inde non tantum nobis accedere potuisse commodi, quod temporis jacturam & operæ compensaret, cum is alia plane via incedens ex Juris Naturæ & Gentium principiis necessarios in Republica quacunque JCTos esse ostendat, de Reformatione Friderici III. pauca, & præter ea, quæ ex Conringio allegat, nulla pene verba faciens. Non omnino iraque ingratum spero fore cuicunque vel parum de historia Juris Romani sollicito, si in præsentiarum Speciminis Academicci loco, adjutus potissimum prudentiori manuductione ejus, quem Praeceptorem, nunc & Praesidem, veneror, Reformationis istius commentitiam fidem paulo curatori studio pro viribus ostendere conabor: quo tandem, auctoritate Juris Romani perpetua, nulloque interrupta tempore, Germaniae vindicata, inquis JCIorum osoribus hac quoque ex parte omnis in posterum præcidiatur cavillandi occasio. Nostra autem hac in re opera ad duas præcipue partes redibit. In priori ostendere conabimur, dictam Reformationem nullam mereri publicæ Legis fidem, neque in Comitiis Imperii unquam publice exhibitam probari posse, sed suppositum potius videri privati tantum cuiusdam opus. Quodsi vero voto hic minus responderet eventus, illud faltem in posteriori nos demonstratos confidimus, quod Reformatione illa, si etiam genuina esset, non obstante, Juri Romano, postquam semel receptum, ejusque Doctoribus a Germanis debitus semper servatus fuerit honos, quin plane indies auctior cumulatiorque prodierit.

Ut autem de hujus instituti nostri objecto primario, vel uti nostrates interdum loquuntur, de ipso *Corpore delicti*, cuius nunc examen suscepturni sumus, cuiilibet eo facilius

(k) Ubi cum nusquam quasiveramus sub Dissertationis Academicæ titulo ab Autoribus, quos inspeximus, non citatum.

constare possit, habet ex ipsa illa Reformatione, alias sat ampla ac diffusa, Articulum Quintum & Septimum, cum Quinti Declarationibus quatuor ad verbum hic exhibere, prout apud Goldastum leguntur. Reichs-Satzungen Tomo I. pag. 166. & sqq. (1)

Der fünft Hauptartikel.

Alle Doctores der Rechten, sie seint Geistlich oder Weltlich, im heiligen Römischen Reich Deutscher Nation, sollen nach laut der fürgenommenen Reformation an keinem Gericht bey keinem rechten, auch in keins Fürsten oder andern Rathen mehr gelitten, sunder ganz abgethon werden. Sie sollen auch fürbaßhin vor Gericht oder Recht nicht weiter reden, schreiben oder rathegeben. Seitmals Gott den Menschen mit seiner eigenen Weisheit begnadet und verschen hat, so mag er in der newen fürgenommenen Ordnung seines Rechtes selb wol warten.

Die Declaration über den fünften Artikel.

Über den fünften Artikel

Die erste Erklärung derselben Declaration.

Die erste Erklärung des fünften Artikels Derselben Declaration ist also fürgenommen im heiligen Römischen Reich Deutscher Nation, bey allen Universitäten, die bey dem Reich zugelassen werden, daruff man Docter und Lehrer der Rechten machet, sollen drey Doctores im Rechten gehalten werden und verlegt, die der Rechten, so mit wahren Grund bestätigt und zugelassen seynd, sollen warten, auch dieselben und nichts anders in Rechten lesen oder lehren, und sich auch ander nicht weiter führen lassen oder davon dringen, dann wie es im Reich geordnet und bestätigt wird. Ob aber großer Irrung halber ein Rathschlag, der sich einer Urtheil wol vergleichte, von ihm

(1) Totam hanc Reformationem exhibet quoque MULLERUS im Reichs-Dag-Theatro. p. 57. & sqq.

samentlich begehrt würde, das sollen sie alle drey einmuthiglich umb Fürderung willen der Sachen annemen, und innerhalb eines Monats oder dreissig Tagen demselben urteilmessigen Rathschlag beschließen, und denselben, von den er herkumt, wider überantworten, damit im Rechten niemands verfürzt werde, und alle Menschen darin gefürdert, auch zu End des Rechten kommen mögen. Dann ein unbillischer verzug im Rechten ist dem gemein Mann ein schädlich ding an seiner Nahrung.

Über den fünften Artikel.

Die ander Erklärung derselben Declaration.

Die ander Erklärung des fünften Artickels derselben Declaration, ist im heiligen Römischen Reich Deutscher Nation also fürgenommen, daß an keinem Rechten, hoch oder niedern Stands keine Doctores sollen sitzen, helfen Recht sprechen, schöpfen, noch beschließen. Wann ihnen das harter dann den Leyen verschlossen ist, und kan ihr keiner ein Schlüssel darzu finden, bis beyde Theil arm werden, oder gar verdorben sind. Aber der Ley behält doch den Schlüssel zum Rechten bey ihme, daß man zu ziemlicher Zeit das Recht herfürbringen mag. Auß diesen Ursachen kan man die Gelehrten in keinem Rechten mehr leiden. Darzu seynd es nun besoldt Knecht, und nicht Erbdiener des Rechten.

Über den fünften Artikel.

Die dritte Erklärung derselben Declaration.

Die dritte Erklärung des fünften Artickels derselben Declaration, die ist also fürgenommen, daß im ganzen Röm. Reich Deutscher Nation kein Doctores mehr vor keinem Rechten weder reden, procuriren, oder weiter procediren sol, in Schriften oder andern Rathschleglen: sonder aller weltlichen Recht müßig ston: Darum, daß sie Stieffvätter und nit die rechten Erben des Rechten seynd. Dann sie nemen ihme den Grund

Grund der Warheit, und bringen durch ihren unordentlichen Geiz das Recht zu einem solichen Unglauben, daß kein frumme Mann sein Vertrauen darein mehr seken mag. Das hat euer verkerte Lehre inner fünffzig Jahren zuwegen bracht, wo ist es vor erhöret worden.

Über den fünftten Artikel.

Die vierde Erklärung derselben Declaration.

Die vierd Erklärung des fünftten Artickels derselben Declaration, die ist also fürgenommen, das im ganzen Römischen Reich Deutscher Nation zugelassen ist, allen Ständen, Fürsten, Grafen, Freyen, Herren, Städten und Gemeinden vergundt Doctores und Lehrer der Rechten zu halten: doch mit solcher Form und Maß, daß die in kein Reichs Rath als Anwaldt oder Verweser, auch in ander Wege nicht gehört oder zugelassen würden, dergleichen weder in Fürsten oder der Stadt Rath gehört, oder Rathsweise gesetzt werden sollen. Ob aber Fürsten, dergleichen Stadt und andere je Doctores haben wolten, den mögen sie eigen Rathstuben halten, wo ihn schwer Händel fürfallen, daß sie ihn darüber Rathschläg machen mögen: Das mit mögen sie eins Fürsten oder einer Stadt Heimlichkeit nicht gründlich erfahren: dann bey ihnen nichts verschwiegen ist. Sie seynd nicht anders Rath, dann des Solds und des Geiz.

Der siebend Hauptartikel.

Alle Kaiserliche weltliche Recht, so bisher im heiligen Römischen Reich Deutscher Nation gebraucht und dafür gehalten seynd, sollen alle todt und abseyn: allein die, so durch die Rechtverständigen mit lautern grund und klarer Warheit ohne Argelist rechtlich erkannt sind, sollen gehalten und bestigt werden, damit der Arm so viel Freyheit und Zugangs habe im Rechten als der Reich, und ob er schon ein Fürst wäre, sunder Argelist und Gefärde.

SECTIO

SECTIO PRIMA.
REFORMATIO GOLDASTINA
PUBLICI SCRIPTI FIDEM NULLAM
MERETUR.

CAPUT I.

REFORMATIO GOLDASTINA NON VIDETUR
ESSE LEX IMPERII.

§. I.

Inscriptio quidem, quam Reformatio Goldastina præ se fert, videtur ipsi Legis publicæ autoritatem afferere; sequentibus enim verbis a Goldasto traditur: Keyser Friderichs des dritten Reformation im heiligen Römischen Reich Deutscher Nation fürgenommen, und proponirt auf dem Reichstag zu Menz Anno Domini MCCCCXLI. Verum hanc Inscriptionem non genuinam esse, & a se ipso forsitan confitam GOLDASTUS non obscure innuere videtur, aliam modo, (m) & a priore plane diversam, ex ipsis tamen Originalibus, quas vocat, Chartis desumptam exhibens, quæ haec est: Dieser Aufzug von Keyser Friderichs des dritten fürgenommen Reformation im heiligen Römischen Reich Deutscher Nation wird mit nachfolgenden großß haupt-artickeln und ihren Declarationen mit sampt dem dreyzehenden beschluß artickel hierin klarlich angezeigt. Priorem itaque Inscriptionem non curamus, uti nec eam, quæ ibidem occurrit: Keyser Friderichs des dritten Reformation, alle ständ im H. Reich in ein beständige Ordnung zu bringen, cum ea tantum, quæ incipit: Dieser Aufzug ic. ex ipsis Originalibus, uti vult GOLDASTUS, deponita sit.

B

§. II.

(m) In der Anzeigung, woher die Reichs-Sakungen genommen seyn; pag. 312.

§. II.

Sed ne ista quidem genuina est. Primo enim promittit tantum compendium quoddam ex illa Reformatione Friderici III. dum dicit: Dieser Aufzug von Keyser Friderichs Reformation; ut adeo temere omnino GOLDASTUS, se eam ex ipsis Originalibus depromisse, afferat. Quodsi quis regereret, Aufzug hic denotare *Copiam*, (ut ira loquar,) cum Reformatio ipsa, uti a GOLDASTO exhibetur, non videatur *extractus* aut compendii formam habere; is tamen eo ipso fatebitur, GOLDASTUM eam omnino non ex Originalibus, sed tantum ex *Copia* quadam desumisse, quam ipse quidem *Vidimatam* fuisse afferit, sed non probat, ut adeo fides ipsi nulla debeatur. Præterea hæc Inscriptio vel plane nullum sensum habet, vel saltē obscura est, ex qua proinde nihil certi inferri poterit. Autorejus sine dubio ita voluit scribere: Durch diesen Aufzug wird Keyser Friderichs Reformation klarlich angezeigt. Porro a forma Inscriptiōnum in publicis & Comitialiibus Decretis adhiberi solita quam maxime abhorret, & plane privati cuiusdam hominis scripturam arguit, qui Lectorem non obligare, sed instruere tantum ac docere voluit. Nullam quoque mentionem facit, vel loci aut temporis, quo ista Reformatio facta fuerit: ut adeo omnino mirari debeamus, unde GOLDASTUS omnia ea, quæ ipse de ejus loco ac tempore afferit, petierit. In ea quidem Reformatio quædam Friderico III. Imperatori tribuitur, sed nec hoc respectu genuinitatis illa fidem meretur. Anno enim 1441. quo hæc Reformatio ex GOLDASTI opinione contigit, Fridericus III. in Regem Romanorum jam quidem electus, nondum tamen Imperatoris titulum sumferat, cum anno demum sequente Aquisgrani solemniter inauguratus fuerit. (n) Unde & Ordines ante hanc inaugurationem Fridericum Regem tantum Roma-

(n) Teste TRITHEMIO in Chron. Sponheim. ad A. 1442. & M. CHRON. BELG. apud PISTORIUM T. III. p. 410. Ed. nov.

Romanorum salutarunt, uti patet ex Decreto Ordinum de A. 1440. (o) Ipse se Fridericus in Mandato apud GOLDASTUM l. c. proxime sequenti de eodem anno Regem Romanorum non Imperatorem dicit. Aut igitur GOLDASTI computatio falsa², aut certe ista Inscriptio genuina non est. Quodsi autem demus, eam genuinam, & ab ipso Originali defumtam esse, nunquam tamen ex ea probari poterit, quod Reformatio, cui ipsa præfigitur, sit Lex Imperii, cum tantum loquatur de Reformatione adhuc instituenda ac comitialiter decernenda, non vero de Reformatione consensu Imperatoris & Ordinum jam decreta ac sancita. Dicit enim: Dieser Aufzug von Keyser Friderichs des dritten fürgenommen Reformatio n ic. per vocabulum fürgenommen autem hic nihil aliud, quam simplicem propositionem intelligi, ex iis, quæ mox dicentur, manifestum fiet.

§. III.

Quam parum autem ex Reformationis Goldastinæ Inscriptione publica ipsius autoritas probatur, tam parum etiam tale quid ex ejus Subscriptione colligi potest, cum nulla plane adsit. Unde etiam hac ex parte fides ejus vacillat, cum Comitialia Decreta ordinarie ab aliquot Statibus Imperii, vel saltim ab Imperatore, aut hujus nomine a Cancellario subscribi ac subsignari debeant, fidem alias vix meritura. (p) A temporibus quidem Maximiliani I. for-

B 2 mam

(o) In Epilogo apud GOLDASTUM R. S. T. II. p. 146.

(p) Conf. LIMNAEUS Jur. publ. L. IX. C. I. n. 200. & segg. Licet enim fateatur, Recessus quosdam, de quorum fide aliunde indubie constat, omni subscriptione carente in Editionibus vulgatis occurrere, quorum exempla exhibet in Add. T. I. ad l. c. n. 208. non satis curate, ut notat MAURITIUS; eum tamen subscriptionis defectum negligenter librariorum & typographorum plerunque imputandum arbitratur, cum Subscriptiones sane Recessibus solenni more accedere afferat, modumque, quo accedunt, indicet ibid. n. 210. autore LEHMANNO Chron. Spir. L. VII. c. 124. Addatur MAURITII Diff. de Recess. Imp. n. 24. & 25.

mam Recessum Imperii externam certiorem demum factam esse & solenniorem , cum Illustri SENCKENBERGIO (q) lubentes fatemur ; non tamen inde nobis persuadere possumus , Constitutionem aliquam Imperii Universalem , ea , qua hæc Reformatio superbis , formæ ostentatione compositam , omni subscriptione , si genuina esset Imperii Lex , carituram fuisse . Sane jam ante Fridericum III. moris fuisse , ut Comitialibus placitis subscriberetur , ex compluribus monumentis eorum temporum pater . (r) Idem quoque Friderici III. temporibus obtinuisse , ipsa hujus Imperatoris Rescripta & Constitutiones , quas GOLDASTUS (s) colligit , satis evincunt .

§. IV.

Ipse denique Ordo & Stylus istius Reformationis , perturbatissimus omnino arque incertus , a gravitate ac perspicuitate Legis censoria plane alienus est . Ita autor non tantum ejus initium cum fine manifesto confundit , dum postquam in Prologo Articulum XIII. finem constitueret totius Reformationis dixerat in verbis : wie die zum theil mit zwölf Artikeln ihrer Declaration und Erklärungen hernachfolgend , verzeichnet seynd , und der dreyzehn beschluß Articel mit seiner Declaration und dero selben Erklärung darauff beschleust , mox in Epilogo docet , quod Reformatio ab eo demum incipiat , & sic ex propria ipsius sententia initium capiat a fine , dicit enim : Nach diesen dingen werden erst die zwölf haubt Articel hievor angezeigt , ihren Anfang nemen , mit einer Rechte mässig

(q) In Epistola novæ Recess. Imp. editioni præmissa . §. 9.

(r) Vid. Ord. Pac. Publ. de a. 1398. R. U. P. I. p. 97. & Sigismundi Imp. Aurea Bulla in Comitiis Noricis a. 1431. publicata R. U. P. I. p. 146. aliaque complura exempla apud GOLDASTUM R. S. T. I. & II. Corp. Recess. Imp. P. I. editionis nimurum novissimæ , qua superiori anno Francourti ad Moenum prodiit , qua & nos in sequentiis usuros nunc & semper monemus .

(s) R. S. T. I. & II. unde novissimæ Recessum editioni P. I. inserta fuerunt .

mässigen Ordnung und Reformation; sed passim quoque sermone adeo incerto ac vario utitur, ut , quid de hac Reformatione statuendum, vix constare queat. Modo enim de ea ita loquitur , ut in Comitiis adhuc proponenda ac discernenda videri posset. Sic verbis futuri temporis utitur in Inscriptione ad Artic. I. folgend stond die zwölff haupt Artickel, wie die in des heiligen Reichs Ordnung betracht seynd fürzunemen und zu bestetigen, nec non in Artic. V. Alle Doctores der Rechten : : : sollen nicht mehr gelitten, sondern ganz abgethon werden. In Declaratione I. ad Artic. XII. Dass nun fürbaß nach angenommener und bestätigter ordnung; in Declaratione II. nach angenommener Ordnung und derselben bestettigung; in Declaratione IV. dass bey allen Ständen sol verordnet werden, & in fine Epilogi dicit: Nach diesen Dingen werden erst die zwölff haupt Artickel hievor angezeigt ihren anfang nemen mit einer rechtmässigen Ordnung und Reformation, quo ipso clare fatetur, se hosce Articulos ad deliberandum tantum proponere, Legitima Reformatione demum confirmandos. Econtrario in plurisque aliis de hac Reformatione tanquam jam facta & comitrialiter decreta loqui videtur; præcipue autem in Declarationibus Articulorum semper verba præteriti temporis adhibet: Die erste Erklärung ist dermassen fürgenommen; Die zweyte Erklärung über den andern Artickel ist dermassen fürgenommen, & sic in multis aliis; plane in Artic. V. dicit: nach laut der fürgenommen Reformation. Verum his ipsis, si modo cum prioribus conferantur, clare doceatur, vocabulum, fürgenommen, hic nudam tantum propositionem de notare, uti & in ipsius Reformationis Inscriptione Generali proposita & fürgenommen pro synonymis accipiuntur. In Declaratione III. ad Artic. XIII. apertius quidem dicitur: so ist darauff beschlossen im Namen des heiligen Reichs; sed hoc statim verbis sequentibus restringitur ad tempus futurum: dass sol verordnet werden. Alios adhuc complures falsitatis characteres in Reformatione Goldastina deprehendi-

mus inferius (t) recensendos , ex quibus omnibus , ni fal-
lor , satis patere arbitror , sententiam eorum , qui cum H I P-
POLYTHO & LAPIDE illam pro Lege Imperii comitialiter
decreta venditant , nullo , ne probabili quidem argumento
defendi posse . Imo cum Reformatio hæc , uti mox osten-
demus , ne in Comitiis quidem unquam proposita videatur ,
inde multo minus Imperii Lex dici poterit .

CAPUT II.

REFORMATIO GOLDASTINA NON VIDE-
TUR A FRIDERICO III. IMP. IN COMITIIS
FUISSE PROPOSITA.

§. I.

Quum itaque Reformatio Goldastina minime Lex Im-
perii probari possit , videndum nunc porro erit , an-
non tamen ea aliquando Ordinibus Imperii in Comitiis ,
ut de ea instituenda deliberarent , proposita fuerit , vel uti
praxis loquitur , an illa unquam ad Dietaturam Imperii per-
venerit . Et GOLDASTUS sane sibi hac in parte plane non
constar , qui , eam ab ipso Imperatore Friderico III. Ordinibus
Imperii in Comitiis propositam fuisse , confidenter
quidem afferit , (u) his verbis : Dass aber diese Reformation
nicht erdicht , sondern von Keyßerlicher Majestät auff dem
Reichs-Tag sey den Ständen proponirt und fürgetragen wor-
den , bezeugt genugsam die Originalia , so bey den Thürfürst-
lichen Tansleyen noch vorhanden , und wo es die Nothdurft
erfordert , können aufgewiesen , oder glaubwürdige Vidimus
darvon erlangt werden ; mox tamen , & tribus fere tantum
interjectis lineis , sui oblitus disertis verbis hoc negans , Re-
formationem illam à Civitatibus in Comitiis Imperatori

(t) Huj. Sect. Cap. V. loc. cit. etiam in Reformatio Goldastina non videtur a Friderico III. in Comitiis Imperii proposita.

(u) In der Anzeigung woher die Rechts-Satungen genommen seyn. pag. 312.

Friderico oblatam dicit: Doch erscheint sich auf allen Anzeigungen, daß diese Reformation weder durch den Kœpfer, noch aus ihrer Majestät befelch, weder durch fürsten und herren, noch aus ihrem befelch, sondern durch die Städte im Reich auff einem Stätttag gemacht, und hernach auff dem gemeinen Reichstag aus ihrem Rath der Kœpferlichen Majestät für ihr Bedencken und Rathschlag underthäniglich übergeben worden. CONRINGIUS vero (x) neutrum quidem horum afferere audet; illud tamen certo constare dicit, Reformationem hanc in Comitiis publicæ deliberationi olim propositam fuisse. Sed ego non video, quomodo ipse de prioribus dubitare, posterius vero pro certo afferere possit; si enim probabile non est, quod Reformatio ista vel ab Imperatore, aut a Principibus, vel a Civitatibus in Comitiis proposita fuerit, etiam probabile non est, multo minus pro certo affirmari potest, eam in Comitiis propositam fuisse, cum propositio necessario supponat proponentem. Accedit, quod CONRINGIUS hanc suam sententiam nullo plane arguento probet; quod & THOMASIO, acutissimo alias Scriptori, contigisse miramur, qui quibus motus argumentis afferat, a quibusdam Statibus Imperii petitam a. 1441. fuisse omnium Doctorum Juris a iudicis & consiliis proscriptionem, ne verbo quidem indicat. (y) In hunc censum etiam venit CONRADUS SINCE-RUS s. CULPISIUS, (z) æquior tamen ipso THOMASIO, qui (a) Reformationem sic dictam Friderici III. de qua hic agimus, non adeo iniquam esse contendit, non CONRIN-GIO tantum, sed & ipsi CULPISIO, qui eam nec iuste nec utiliter in effectum deduci potuisse aperte profitetur, hac in parte e diametro contrarius. Eo plane progreditur Illustris

LUDER-

(x) De O. J. G. C. 32. p. 196.

(y) Caurel. circa Praecogn. Jur. Eccles. C. 21. §. 40. & in Differt. Historico. Jurid. X.

(z) In Differt. Epistol. §. 45.

(a) Et Nota 27. ad allegatum CULPISII locum & in sua modo alle-gata Dissertatione,

LUDEWIGIUS (b) POGGI FLORENTINI & PETRI DE ANDLO, illius quidem Germanos ob proscriptum Jus Romanum felices predicantis, hujus vero eorum ob id neglegatum vicem acerbe dolentis, verbis inductus, ut Reformationem Goldastinam pro Recessu Imperii publicoque Ordinum Decreto sine ulla hæsitatione venditer. Paulo mitior est HEINECCIUS, (c) qui Reformationem hanc a Principibus quidem propositam, non tamen perlata, nec unquam executioni mandatam, Friderici tamen genio convenientem asserit. Quam vero CONRINGIO diximus esse sententiam, eam fere tuentur etiam THILO, (d) BOECLERUS, (e) BE-SOLDUS, (f) & LANSIUS. (g) Melius omnino & optime omnium TABOR, ITTERUS, (h) & STRYKIUS (i) sentiunt, qui Reformationem istam ne in Comitiis quidem propositam fuisse constanter asserunt, quam sententiam jam defendit LINDENMANNUS. (k)

§. II.

Nos autem, totam hanc quæstionem paulo distinctius examinaturi primo loco videbimus de sententia eorum, qui Reformationem Goldastinam ab ipso Friderico III. in Comitiis propositam dicunt. Illa autem neque ex Inscriptione, utpote spuria, demonstrari, neque ullo alio argumento probabilis reddi potest: præcipue, si ad istius Reformationis Artic. V. & VII. eorumque Declarationes, in quibus Jus Romanum ejusque Doctores tota fere Germania proscri-

(b) In Praef. Consil. Hallens. praefixa §. 35. & not. 138. nec non Miscellor.

Tom. II. Libr. IV. Opusc. I. Differ. XVI. p. 1037. & seqq.

(c) Hist. Jur. L. II. C. 4. §. 100.

(d) Differ. cit. §. 72.

(e) Loc. superioris cit.

(f) De Penis, premis C. 8. §. 4. & De Studio. C. 9.

(g) De Acad. Lit. F.

(h) ll. cc. (i) in diff. prælim. V. M. P. §. 23.

(k) De Academiis, §. 18.

(17)

proscribuntur, animum advertamus. Primo enim minime probabile est, Fridericum III. Jus Romanum aut I^{esu}C^{risto} odio unquam aut contemtui habuisse, ut qui a suis Antecessoribus, a Lotharii II. tempore, quo Jus Romanum in scholis reviviscere coepérat, imperio potitis, praecepit vero a Friderico I. jam satis edictus erat, quantum commodi & adminiculi Jurisprudentia Romana, quique eam profitentur, Doctores Juris afferrent Summis in republica Imperantibus, iis praesertim, qui ad liberius aliquod imperium adspirarent. Hujus enim Romani Juris & Legistarum potissimum ope ac consilio (*l*) Fridericus I. liberrimam illam potestatem in Longobardorum regno, Caroli M. praecepit & Ottonum armis olim quidem quæstam, variis tamen mox Ducum & Civitatum conatibus, quos ipsis Germanis feliciter cessisse viderant, valde debilitatam, & fere in incerto positam loco, denuo sibi vindicavit, Majestati que priscorum Cæsarum pene exæquavit. Indubium hujus rei argumentum nobis suppeditat insignis locus apud RADEVICUM, (*m*) ubi Mediolanensem Archiepiscopum ipsum Barbarossam totius Longobardicæ gentis nomine sic alloquitur: *Scias itaque omne Jus populi in condendis legibus tibi concessum. Tua Voluntas jus est, sicuti dicitur: quod Principi placuit, legis habet vigorem; cum populus ei & in eum omne suum imperium & potestatem concesserit. Quodcumque enim Imperator per Epistolam constituerit, vel cognoscens decreverit, vel Edictio præcepit, legem esse constat.* Sic ex ipso Jure Romano, iisdemque plane verbis, quibus JUSTINIANUS (*n*) jam olim illimitatam imperandi potestatem sibi asseruerat, Friderico I. quoque summum imperium tribuitur: vi cuius eriam ipse, accidente ejusdem Juris ac Legistarum assensu & suffragio, omnia Judicia sua voluntate in

C

Italia

(1) *Nimirum Mariini Gofiae, Bulgari, Jacobi & Ugolini a Porta Ravennate.*

(m) De Gestis Frid. I. L. II. C. 4.

(n) In §. 6. Inst. de J. N. G. & C.

Italia ordinavit, summam Jurisdictionem in omnia sibi soli competere ratus. Duces quoque ac Comites regalia pluribus ab hinc annis summo jure possessa, ut sibi traderent, ipsas vero terras non nisi precario quodam jure tenerent, ex sententia Legistarum adegit: (o) qui sane omnia ea, quæ in Corpore Juris de summa Imperatorum Romanorum potestate legerant, Imperatoribus quoque Germanicis tribuere solebant; adeo, ut etiam MARTINUS (p) non dubitaverit, Fridericum I. Orbis Dominum appellare. (q) Omnem propterea operam ac studium Fridericus I. in eo collocaverat, ut autoritatem Juris Romani & Legistarum, quantum posset, stabiliret atque firmaret, ut id ipse testatur apud RADEVICUM (r) his verbis: *Nostis, quod Jura civilia nostris beneficiis in sumnum proiecta, firmata, ac moribus utensium adprobata, satis habeant roboris.* Exinde præterea spem concepisse videtur, iisdem Juris Romani dogmatibus invisam sibi Germaniae Ordinum libertatem prosterni posse, si modo ipsorum animos ejus placitis sensim imbuisset. Hunc enim in finem non tantum aliquot Legistas ex Italia in Germaniam, ut in aula ipsius essent, secum duxisse videatur, (s) sed & mox in Ordinum conventibus Roncalliis a 1158. celeberrimam illam Constitutionem: *Habita quidem super hoc diligenti inspectione &c. publicavit, Codicique Justiniano sub titulo Ne fil. pro patr. inseri jussit, in qua omnes juvenes, exterios præcipue, concessa ipsis immunitate*

(o) Quæ omnia narrat RADEVICUS l. c. C. 5. cum quibus convenienter tractata H. F. 56.

(p) Tete Glossa & ODOFREDO in L. 3. C. De quadr. præscript.

(q) Propter L. 9. ff. ad L. Rbod. de jact. Consuli hic merentur CULPISIUS in Differr. Epist. §. 38. LUDEWIGIUS in Præf. ad Consil. Hallens. §. 24. & sqq. nec non ARTHURUS DUCK de Autor. Jur. Civ. L. II. C. I. (r) l. c. C. 3.

(s) Legistarum numerum ejus lateri adhæsse non obscurè patet ex loco ARNOLDI LUBECENSIS Chron. Slav. L. III. C. 10. nec non ex iis, quæ a RADEVICO dicuntur l. c. C. 5.

tate a potestate judicis ordinarii, aliisque propositis privilegiis, ad Juris Romani studium excitare voluit. Germanis in specie, cum iis temporibus itinera, non tantum in Germania, sed & in ipsa Italia, ob neglectas Pacis Publicæ sanctiones perpetuasque Guelphorum turbas, latrociniis admodum infestarentur, ne ipsi hoc periculo territi minus frequentes ad Juris Romani Scholas in Italia peregrinarentur, omnem securitatem ac tranquillitatem promisit, ut ipsi ad loca, in quibus sacrarum ac divinarum legum studia excentur, venire, & in iis securi habitare possent. Germanos inde, patrocinio hujus Constitutionis fratres, magno numero transalpinas Juris Romani scholas adiisse constat. (7)

§. III.

Iatis Barbarossa vestigiis omnino instituisse videntur frequentes Imperatores, qui Juris Romani & Jutorum auctoritatem, etiam antequam in Germaniam expresse reciperetur, ad unum omnes fere agnoverunt. Sic Fridericus II. Imp. ACCURSI, celeberrimi Glossatoris, opera & consiliis in omnibus gravioris momenti negotiis usus fuit. Autoritatem quoque Romano Juri ipsum tribuisse, patet ex ejus

C 2

Con-

(7) Colligitur id quoque ex JOH. BAPT. PASQUATI, a LUDEWIGO in cit. pref. n. 134. allegati, Tractatu De Archigymnasio Patavino; ubi Autor inter complures alias Scholarium nationes refert quoque Alemannam, Boemam, Ungaram, Polouam &c. Plura Germanorum privilegia in Academia Bononiensi recenseret JACOBUS MIDDEN-DORPIUS De privilegi. Acad. L. IV. p. 11. vid. BRUNQVELL Hist. Jur. P. III. M. II. C. 10. §. 9. & qui ibi copiosius allegantur. Quamvis autem Friderici I. studium in stabilienda Juris Romani & Legitarum etiam per Germaniam autoritate ex hac tempore dictis satis appareat, tamen hoc minime trahenda ejus de Pace Publica Constitutio ex II. F. 27. novissima Recessuum editioni, P. I. p. 5. & seqq. cum versione Germanica inserta, in cuius pr. & §. XII. Interpres Germanus Leges divinas ac humanas, nec non judicium divinum & humanum, feculi sui moribus forsan deceptus, inepte omnino per Geistlich und Weltlich Recht explicat, putans, Frid. I. hic de Jure Canonic & Romano fuisse locutum.

Constitutione, quæ in calce Corporis Juris deprehendi-
tur. (u) Ludovicus Bavarus plane expressa Lege Jus Roma-
num in Germaniam recepit & dum ipse Anno Sec. XIV.
quadragesimo secundo in Comitiis Francofurtanis cum con-
fensu Principum Electorum constituit, ut Assessores Judi-
cii Cæsarei secundum Jura Romana, quæ paulo ante in Co-
mitiis Rensensibus cœlestis thesauri testimonia appellantur, in
posterum judicarent. (x) Carolus IV. vero, cui BARTO-
LUS,

(u) §. 4. Ejus antiqua versio extat R. A. P. I. p. 27. Alias adhuc Friderici II. & Henrici VII. Imp. Constitutiones, in quibus Jura Romana laudantur, recentent CULPISIUS in *Dissert. Epist.* §. 64. seq. & HEINECCIUS *Hist. Jur. L. II. C. II.* §. 49. Quamvis autem cum CUL-
PISIO & B. STRYKIO in *dissert. pralim.* U. M. P. §. 21. lubentes fateamur, itas Fridericorum & Henrici VII. Constitutiones Italos tan-
tum obligasse, nobis tamen sufficit iisdem probari, quod dicti Impe-
ratores non odio sed honore renascentem Juris Romani & Jctorum
autoritatem exceperint.

(x) Specialis ipsius hanc in rem Constitutio, ad Manuscriptum Mogun-
tinum expressa extat R. A. P. I. p. 44. seq. in cuius medio constituitur:
Daj man furbaß vor desfelen unsers Herren des Reichs Hofgericht allerman-
nischen richten sulle und muge, nach Kunig und Kaiserin, sinze Vor-
vare an dem Romischen Riche Gesetzen, und ire geschrieben rechten.
Ante hoc tempus de publica Juris Romani autoritate veltigia nulla
occurruunt, quamvis illud jam tum in judiciis sensim invaluisse videa-
tur, uti de privata Juris hujus in Germania autoritate plura Sec. XIII.
& XIV. imo & XII. exempla post HERTIUM, STRUVIUM, &
BOEHMERUM collegit HEINECCIUS *Hist. Jur. L. II.* §. 64. seqq.
Judices enim adhuc sub finem Sec. XIII. præter Jus Canonicum, ad
mores tantum & confuetudines in judicando adfrictos fuisse, ex Con-
stitutione Rudolphi I. *de a. 1287.* §. 33. & 34. junc. §. 15. R. A.
P. I. p. 34. & Speculo Suevico, loco inferius allegando, patet. Ex
illa autem Ludovici Bavari Constitutione, quod incidenter moneo,
apparet, corrue nunc communem & tritam haec tenus DD. senten-
tiam, quæ expressam Juris Romani in summis Germanie tribunalibus
receptionem a Maximiliano I. demum in Comitiis Wormatiensibus
de a. 1495. faciam fuisse statuit. Hinc etiam docemur, Academias
Sec. XIV. & XV. non ad præparandam Juris Romani receptionem
initutas fuisse, sed potius ad stabiliendam ipsius autoritatem noviter
introdactam, quod illæ quoque satis superque præstissime videntur.
Adde, quæ inferius de hac Ludovici Bavari Constitutione a nobis di-
centur *Seit. II. Cap. I. §. 1. Nas. m. & §. 6.*

lus, celeberrimus JCtus, a consiliis fuisse fertur, (y) Juris Romani autoritatem clare fatetur, dum in *Aurea Bullæ C. 24.* ipissimis fere verbis repetit HONORII & ARCADII Constitutionem in L. 5. C. ad L. Jul. Majest. (z) Nec minus Wenceslaus, Rupertus, & Sigismundus Imperatores Consiliarios Juris Romani peritos habuerunt, inter quos præ cæteris numerandus GEORGIUS FISCELLUS J. U. D. (a) De insigni autoritate, quam Sigismundus præcipue, nec non Albertus II. Juri Romano & JCtis concesserint, complura testimonia inferius adducam. Paulatim quoque iisdem Cæsarum studiis Academie in ipsa Germania, inque iis Juris Romani scholæ constitui cœpisse videntur, cum adhuc hodie Jus eas instituendi conferendique gradus Academicos soli Imperatori vindicetur, Reservatisque Imperatorum vulgo annumeretur. His omnibus autem maxime probabile fieri arbitror, ipsum quoque Fridericum III. eandem viam, qua ipsius Antecessores in conservanda vel augenda imperii sui dignitate incesserant, (b) prosecutum fuisse, neque ab ea in tantum aberrasse, ut plane cum Jure Romano omnes JCtos toto fere Imperio ignominiose ejerent.

C 3

§. IV.

(y) Vid. CULPISIUS in *Dissert. Epist. §. 71.* qui tamen inde cum aliis falso Bartolum a Carolo IV. a. 1356. conficienda Aureæ Bullæ præfectum fuisse dicit, ut qui hoc tempore jam vivere deficerat, docente BUCHOLZER. *Ind. Chronol.* p. 375. add. *Einleitung in die Geschichte der Deutschen Reichs. Abschiede,* præfixa novissimæ Recessuum editioni C. 7. §. 6.

(z) Perperam autem nonnulli ex eo, quod Imperator in A. B. C. 5. Vicariatum Imperii secundum terras Juris Saxonici & Suevici institerit, Jus Romanum iis temporibus nonnum Commune Germanorum Jus fuisse, concludunt.

(a) De his omnibus præ aliis consuli merentur LUDEWIGIUS L. c. §. 31. &c. seqq. & BRUNQUELL. *Hist. Jur. P. III. M. II. C. 10.*

(b) Aliam adhuc causam, qua Juri Romano & JCtis Imperatorum gratiam peperit, post CONRINGIUM indicat HEINECCIUS *Hist. Jur. L. II. C. III. §. 60. §§.*

§. IV.

Verum non probabilibus tantum argumentis , sed plane luculentis testimoniis probari potest , Fridericum III. Juri Romano ejusque Doctoribus non parum favisse. Sub ejus enim auspiciis in Germania plures Academiæ , inque iis Juris Romani scholæ institutæ fuerunt. Sic Academiæ Friburgensis a. 1450. Gryphiswaldensis a. 1456. Ingolstadiensis a. 1472. Tübingensis a. 1477. & Moguntina a. 1482. Friderico imperante fundatae fuerunt. (c) *ÆNEAS SYLVIVS* quoque de Friderico testatur, quod multos Doctores Juris in Italia promoverit. (d) *ITTERUS* plane (e) memorabile diploma profert, ex quo Fridericum III. Imp. a. 1475. immediate Juris Civilis Doctoratum certo cuidam *A DOLPHO GEGENER* contulisse appetat. Licer autem in hoc diplomate inter cæteras prærogativas , quas Imperator novo Doctori nominatim tribuit, non etiam occurrat facultas in judiciis postulandi aut judicandi , tamen inde non poterit concludi , Fridericum noluisse , ut Doctores Juris in judiciis admitterentur. Ipse enim hic tantum occupatur in recensendis privilegiis Doctoris titulo specialiter annexis , & sic opus non erat juris judicandi aut postulandi mentionem facere, quippe quod regulariter cuilibet , dummodo alias ex legibus Reipublicæ habilis sit , de Jure communi competit. Præterea, JCTos a Friderico III. honorifice habitos fuisse, ex eo quoque probatur, quod ipse eorum opera plane in Comitialibus negotiis usus fuerit. Sic inter Legatos, quos a. 1467. ad Comitia Noribergensia ipse misserat,

(c) Consuluntur hic *TABOR Progr. alleg. SPENER. Hist. Germ. Univ. Pragm. P. II. L. III. C. 7. §. 7. CONRING. Antiq. Acad. Diff. L. §. 46.*
 & quorum fide hi utuntur, *TRITHEMIUS in Chron. Sponb. ad a. 1475. 1477. &c. PAULUS LANGIUS in Chron. Citicens. apud PISTORIUM T. I. p. 1248. & 1252. Ed. nov.*

(d) In *Hist. Rer. Frid. III. p. 81.*

(e) In *Tr. De Honor. & Grad. Acad. Cap. VI. §. 21.*

rat, recensetur quoque **Gorg Ehringer Doctor**, (f) qui
præterea ibidem Cæfarei Filii Procurator, Käyserlicher Gi-
scal, audit. In Comitiis vero Rotenburgenibus de a. 1487.
nomine Imperatoris comparuisse dicitur **Herr Bernhard**
Perger Licentiat und Prothonotarius. (g) Imo **CASPARUS**
SCHLICK J. U. D. Friderici III. Cancellarius memoratur ab
AENEA SYLVIO. (h) De honore, quem Frid. III. Juri Ro-
mano ejusque Doctribus exhibuit, abunde porro testantur
Constitutio Pacis Publicæ Neostadiensis de a. 1467. Ratis-
bonensis de a. 1471. Augustana de a. 1474. nec non Decre-
tum Friderici apud **GOLDASTUM**; (i) Autor Speculi ho-
noris Austraci; Recessus Imperii Noricus de a. 1487. &
Francofurtranus de a. 1489; quæ loca inferius latius recen-
sebuntur. (k) Perperam itaque, & contra omnem historiæ
fidem, a **GOLDASTO** aliisque assertur, sèpius dictam Re-
formationem, & sic etiam infamem Juris Romani & JCto-
rum, quam illa urget, proscriptiōnem a Friderico III. in
Comitiis Ordinibus propositam fuisse, ut quem eximum
Juris Romani & JCtorum fautorē tot monumenta demon-
strant. Saltem illud nobis ex iis concludere licebit, quod
Fridericus, si eum etiam unquam ab isto favore aliquan-
tum remississe probari posset, minime tamen integrum JCto-
rum ordinem tot turpissimis conviciis, quibus Reformatio
Goldastina scater, proscissurus videri potuerit. Obstare
tamen videtur **CUSPINIANUS**, (l) qui hunc Imperato-
rem minus benigne de JCtis sensisse, sicque dixisse air:
Juris ab eis æquitatem inverti, justitiamque fœdari. Verum
præterquam, quod **CUSPINIANUS** hoc ex ipsa illa spuria
GOL-

(f) R. II. P. I. p. 224. (g) R. II. P. I. p. 283.

(h) Hist. Boem. Cap. 3. (i) R. S. T. II. p. 168.

(k) De favore Friderici III. erga JCtos agit quoque Christophorus
vom Hagen in Dedic. Tr. de Uſu Uſur.(l) In vita Friderici III. quem hac in parte etiam sequitur CONRINGI-
US De Q. J. G. C. 32. p. 100, nec non HEINECTIUS Hist. Jur. L.
II. C. 4. §. 97. &c. 100.

GOLDASTI Reformatione desumisse videatur ; quippe qui denum Maximiliani I. tempore scripsit, ejus autoritas sola non tanta est , ut testimonis jam adductis præpondere debeat.

CAPUT III.

REFORMATIO GOLDASTINA NON VIDE-TUR A PRINCIPIBUS IMPERII IN COMITIIS FUISSE PROPOSITA.

QUod Principes Imperii Reformationem Goldastinam in Comitiis proposuerint, illud iterum neque ex ejus Inscriptione, aut Subscriptione, neque ullo alio argumen-to demonstrari potest. Quodsi vero ex conjecturis judi-cium ferendum sit, tunc has ipsas argumenta pro negativa tantum sententia, nulla plane pro affirmativa , suppeditare videbimus. Quotquot enim ex antiquioribus Jurispruden-tiæ Germanicæ monumentis hodienum superfunt, cuncta uno ore testantur , Jus Romanum ejusque Doctores a Prin-cipibus Imperii , tam Ecclesiasticis quam Secularibus , non neglectos aut contemptos, sed potius magno semper in pre-tio habitos fuisse : partim ut ipsi libertatem & jura sua avi-ta contra Cœsarum molimina defenderent , ad quod ipsis fine dubio Juris Romani notitia & JCtorum consiliis opus erat : partim , ut subditos suos ad absolutam imperandi po-testatem assuefacerent , sive imperii limites magis magis que extenderent atque stabilirent. Unde etiam eos non tantum Academias & Juris Romani scholas jam a tempo-ribus Sec. XIV. in territoriis suis passim constituisse , sed plane ad solennes Imperii conventus JCtos tanta frequen-tia delegasse videmus, ut eorum etiam numerum quis haud facile inierit. Sic Comitiis Noricis de a. 1466 complures Legati Principum, Doctoris titulo ornati , adfuisse legun-tur. Sane a temporibus Maximiliani I. vix unquam Co-mitia , & ne vix quidem , celebrata fuerunt , in quibus non singulis

singulis complures Doctores & Licentiatii Juris ex partibus Principum comparuerint, quos Catalogi Legatorum Comitium cumulatim recensent. Verum gravius adhuc pro hac sententia argumentum ex ipsa Reformatione Goldastina desumi potest: quod nempe minime probabile sit, Principes Imperii ipsos in Comitiis proposuisse ea, quæ ipsorum in constituendis Judicibus & Judiciis libertati insigne erant allatura detrimentum. Tantam vim huic argumen-
to omnes tribuunt, ut vix sint, qui Principes Imperii Re-
formationis Goldastinæ autores dicere audeant; unde & nos
huic rei diutius non immorabimur.

CAPUT IV.

REFORMATIO GOLDASTINA NON VIDE-
TUR A CIVITATIBUS IMPERII IN COMITHS
FUISSE PROPOSITA.

§. I.

REmotis itaque cæteris, nunc sententiam quoque eorum videamus, qui Reformationem Goldastinam a Civitatibus Imperii in Comitiis propositam fuisse dicunt. Illam autem, licet & ipsa ex Reformationis vel Inscriptione vel Subscriptione aliove indicio probari nequeat, probabilibus tamen argumentis aliquo modo defendi posse lubentes fatemur. Quamvis enim Juris Romani & Jctorum apud Cæsares & Imperii Principes ob memoratas rationes magna semper fuerit autoritas & existimatio, tamen non tantum nullæ eorum apud vulgus, & ubi hoc plurimum valet, in Civitatibus Imperialibus vel aliqua saltæ laus fuit aut honos, sed plane contemtus ac odium. Et adeo invisus nonnullis Civitatibus Juris Doctorum Ordo fuisse dicitur, ut a Senatoria dignitate eos plane excluderint. Imprimis de Republica Norimbergensi ex ore Senatoris cuiusdam, quem *Virum doctum & facundie singularis, linguarumque peritum* vocat,
D refert

refert STEPHAN. VINAND. PIGHIUS: (m) *Leges avitas sic velle, ne quis professione Jurisperitus, aut titulo Doctor ad Senatum aut Reipublicæ gubernacula admittatur.* Idem etiam testatur CHRISTOPHORUS SCHEURELIUS, laudatae Reipublicæ quondam Consiliarius, Epistola ad STAUPIZIUM scripta, quam exhibent GASTELIUS (n) & WAGENSEILIUS, (o) cujusque c. 8. sub finem hæc habentur: *Unum præterire nequo, quod Doctoratus, quantumcunque Patritius, togæ incapax censetur; capite autem 25. sequentia occurunt: Patres in Senatum Doctores non admittunt. Quoties in sententiis discrepant, aut casus Jurisprudentiam expostulat, toties duos ex se ordinant, qui factio prandio consulunt Doctores, & postea die consulta referunt.* His quoque congruunt tradita SPRENGERI: (p) *Nec Juris perito, nec Doctori, Dignitas Senatoria Norimbergæ contingit: purus Patriciatus & quidem capaciorum familiarium requiritur.* Similiter de Augusta Vindelicorum ejusdem Reipublicæ Advocatus JO. MARCI ex actis Augustanis narrat: *Alls anno 1672. Kayser Ferdinandus II. vierzehnen personen zu Augspurgischen Geschlechtern erhöhett, und darauft Senatui Augustano befohlen, Sie denjenigen Aemptern und Rathstellen, so denen Geschlechtern anvertraut worden, zu befördern, hat derselbige neben anderm dagegen eingewendet, daß unter solchen Personen vier Doctores sich befinden, die nach der Stadt herkommen den Rath und Aempter nicht zu besitzen pflegten.* (q) *Nec silentio prætereundum est, quod THOMASIUS (r) ex Scriptoribus & monumentis fide dignis refert, quod*

(m) *Hercul. Prodig. p. 88. &c seq.*

(n) *De Statu publ. Europ. C. 32.*

(o) *In Comment. de Civit. Norimb. L. I. C. 24.*

(p) *Font. Jur. publ. C. 25. p. 293.*

(q) *Ita hac fere omnia & alia, quæ omittimus, recenset ITTERUS De Hon. & Grad. Acad. C. 9. §. 22.*

(r) *In Not. 26. ad Conradi Sinceri s. CULPISII Differt. Epist. §. 45. nec non*

quod nimirum a. 1574. *Badebornius, Thomingius, Schelhammerus & Hartmannus Pistoris*, egregii Juris Romani Doctores, artibus Rauscheri Consulis, & odio *Juris Romani* ipso Scabinatu Lipiensi, quem hactenus insigniter ornaverant, moti tandem fuerint.

§. II.

Quæ cum ita sint, non parum verosimile videtur, Sec. XV. & ipsis Friderici III. temporibus, quibus de Statu Imperii in meliorem ordinem cogendo saepius consilia inibantur, de reformandis quoque Juris Romani Doctribus aliquam propositionem aliquando factam fuisse ab hisce Civitatibus, quæ maximam malorum partem ab iis provenisse arbitrabantur. His accedit, quod ipsis iis temporibus cura de salutari quadam Reformatione instituenda Civitatibus in specie commissa fuerit, uti patet ex Reformatione Sigismundi, (s) in qua Imperator dicit: *vil ander Ordnung wird man noch verhandeln, die jehz nit notturftig stat zu erzelen, die werden den Reichs-Stetten empfolhen, ein Teil in ein Concili geschlagen.* Imo in ipsa hac Reformatione Imperator, unicam fere de corrigendo Imperii Statu spem ac fiduciam in Civitatibus Imperialibus non unarum vice se collocasse, aperte profitetur; imprimis in procemio sic loquitur: *Darumb sint ermant des ersten all ir edlen*

D 2

edlen

non in *Animal. Observ. ad Melch. v. Offe Testam. ad a. 1574.* Verum hanc Jctorum proscriptiōnem causis tantum singularibus, & uti loquantur, mere personalibus tribuendam esse vel ex eo patet, quod remotis alii statim Doctores Juris fuerint suscepiti, memorante THOMASIO l. c. p. 132. qui alias & ipse in c. n. 26. fatetur, illam Jctorum oppressionem non diu durasse. Consule etiam THOMASII *Observ. 104. ad Testam. Melch. von Offe*, ubi conjecturam PFEIFFERI in *Orig. Lips.* quod insigne elogium, quo *Cosmographia Münsteriana* Scabinatum Lipiensensem ornat, ob hanc maxime rationem, quod eo Doctores Juris Rauscheri artibus moti fuerint, in recentiori ejus editione omisum sit, studiose refellit.

(s) *P. II. C. 24. §. 7. apud GOLDASTUM R. S. T. II. p. 139.*

Edlen Reichstett. Wenn das Haubt ist zu Franck; die geistlichen und weltlichen Haubter lassen fallen, was in von Got empfohlen ist, und wann man es recht ansicht, so steht es nur an den Reichstetten. Wann die schlieffen und nit wachten, so wer die Christenheit Gottes und aller seiner Genaden entfremdet, und wer alles recht thun ummär, wann Göttliche ordnung erloschen steht. Darum niemand zu ermanen ist, dann allein die Reichstett; die höchsten Haubter sind nit zu ermanen, wann sy haben das Unrecht inn mit Gewalt.

§. III.

Verum enim vero his omnibus, concessio etiam, quod cuncta ita vere sese habeant, & eo sensu sint intelligenda, quo allegari solent, illud tantum probabile redditur, chartam istam Reformatoriarum originem suam in aliqua prædictarum Civitatum cepisse; non vero & illud, quod ea quoque ab ista Civitate in Comitiis Imperii fuerit propofita: quin potius ex insigni autoritate, qua Jus Romanum ejusque Doctores temporibus Reformationem Goldastinam proxime præcedentibus gaudebant, tuto contrarium colligere liceat. Ipso enim hoc tempore Jus Romanum in Decretis & Consultationibus Comitalibus passim laudatum repertus. Provocant ad illud tanquam ad indubiam judiciorum regulam atque normam Ordines Imperii in Actis Comitalibus Francofurtanis de a. 1435. dann geistlich und weltlich recht halten, daß die Warheit uf zweyten oder me unversprochen Personen ston sol; (t) & Noricis de a. 1438. ubi das gemein Recht, item, das gemein Kaiserlich Recht, laudatur. (u) Albertus II. quoque in Constitutione Pacis Publicae de eodem anno judicia optime secundum Juris Romani placita, nach gemeinen Rechten, exerceri posse arbitratur. (x) Ipse Sigismundus Imp. in Reformatione de a. 1437.

(t) §. 6. R. u. P. I. p. 151. (u) §. 13. & 16. R. u. P. I. p. 160.

(x) §. 25. R. u. P. I. p. 154.

a. 1437. (y) laudes Juris Romani hisce verbis celebrat: mag
nicht nit nach Keyserlichen Rechten, als vor Zeiten unse
vordern theten: Darumb gehet es übel. Werden böß Ahd ge
schworen. Es kummen die Leut um Erb und eigen. Sölt
man Keyserliche oder beschriebene Recht ansehen, es bestünd
mancher, der sunst umb das sein kompt. Dolet hic Impe
rator non tantum neglectum Legum in genero, sed &
Juris Romani in specie, cujus observantia vel sola
Germaniam tot tantisque malis nunc afflictam restitui pos
se putat. Unde mox vult, daß man an allen Hauptgerichten,
do man über das Plut richten mag, haben soll ein Keyserlich
Rechtpuch, daß man recht richte nach Recht.

§. IV.

Cum vero autoritati Juris Romani naturali velut nexus
cohæreat Honor atque Dignitas eorum, qui Jus illud pro
fissentur, inde etiam Doctores Juris Romani his præcipue
temporibus, de quibus nobis sermo est, muneribus & ho
noribus maxime conspicuos deprehendimus. Ita Sigismund
dus Imp. loco proxime citato, facultatem respondendi in
casibus dubiis ipsis concedit: (z) Wer aber Sach, daß in
den Rechten, jetwederm Theil zu kurz beschech, des in deucht,
so mag man die Sach ziehen für einen geistlichen Meister
(Doctorem Decretorum) und einen Weltlichen Weisen (zz).
(Doctorem Juris Civilis). Albertus II. vero summo eos
Imperii Tribunal præficere non dubitat, (a) ut a quibus

D 3

omni-

(y) Part. I. C. 8. §. 4. & P. II. C. 13. §. 5. & 8. apud GOLDASTUM
R. C. T. II. p. 116.

(z) Hic locus, si modo penitus inspiciatur, nec non is, quem modo
ex ejusdem Reformationis Cap. 8. attulimus, clare docent, eos quam
maxime falli, qui, ut Reformationi Goldastinae probabilem faltem
causam quarant, nimiam Juris Romani & JCtorum in foro autori
tatem atque frequentiam allegant. Sane ex priori loco satis patet,
Doctores Juris non in quibusvis facile judiciis obvios fuisse.

(zz) Forsan Meister legendum, uti HEINECCIUS aliquique legunt, ipsa
oppositionis regula fere indicare videtur.

(a) In modo c.

omnium maxime æqua Justitiae administratio sperari pos-
sit. Ipsi plane Principes Imperii, cum status Germaniae,
Ecclesiasticus præcipue, corruptissimus salutari Reforma-
tione indigeret, præcipuum fere spem in J Ctorum pru-
dentia ponere videntur, indeque repetitis vicibus urgent,
ut omnino Doctores Juris ad Concilium Basileense hunc
in finem mittantur: das iglicher Herre von den Kurfürsten,
einen schiecken solle der ein Prelat oder Doctor sy; (b) & mox:
Das vnser Herre der romische Röñig und auch vns Herrn die
Kurfürsten iglicher besunder yre treffliche bestentlichen Prela-
ten, oder gelareen gein Basel schiecken mit Namen von iglichem
Stift da zwölff prebenden usf das mynnersi sin, czwen gelar-
ten darunder eyner usf das mynste sy ein graduatus Doctor,
licenciatus in der heiligen schriesse, in dem rechten, oder
sust einen andern gelerten. (c) Tantæ denique dignitatis
his temporibus Titulus Doctoris Juris videbatur, ut etiam
Concordata Nationis Germanicæ, in Concilio Constanti-
ensi a. 1417. facta, in Cardinalibus Ecclesiæ Romanæ eum
disertis verbis requirent; volunt enim, ut Cardinales in
posterum eligendi sint vivi in scientia, moribus, rerum ex-
perientia excellentes, Doctores in Theologia aut in Jure Cano-
nico vel Civili. (d) Omnium tamen maxime universalem
hunc J Ctorum & Juris Romani honorem, quem hoc tem-
pore in Germania obtinuisse diximus, probant ea, qua ipso
anno Reformationem Goldastinam præcedente 1440. in
Comitiis Moguntinis acta fuerunt. In iis enim ab Ordini-
bus Imperii solemniter decretum fuisse legitimus, ut Basile-
ensi Concilio propositio fieret (e) de Canonicarum quo-
rundam Dignitatibus ac proventibus non Theologiae tan-
tum & Medicinæ, sed Canonici quoque ac Romani Juris
Docto-

(b) Churfürstentags Abschied von a. 1437. §. 10. N. 21. P. I. p. 188.

(c) Vorläufiger Churfürstentag zu Frankfurt a. 1438. §. 3. N. 21. P. I. p. 159.

(d) Cap. i. N. 21. P. I. p. 111.

(e) Sunt verba CONRINGII de O. J. G. c. 32. p. 195.

Doctoribus assignandis Verba Decreti hæc sunt: die dritte (pfrundt) aber hernach vacirent und also forthin die folgenden auf die zwo frey und willig verlichene, sollen gegeben werden einem Maister oder Licentiaten oder Baccalar der Heiligen Schrift . . . einem Doctori oder Licentiaten entweder der Geistlichen oder Weltlichen Rechten oder der Arzney . . . oder einem Baccalar beyder Rechten, oder eines aus beyden. (f)

§. V.

Cum autem ex his omnibus satis pateat, non odium, sed cultum Juris Romani & ICTORUM publicum his temporibus in Germania viguisse, inde minime probabile est, Civitates istas, licet ipsis de publico Juris Romani & ICTORUM honore optime constaret, tamen in tantam mox audaciam prorupisse, ut anno statim sequente cum Jure Romano universum ICTORUM ordinem tanquam pestem reipublicæ pernicioſissimam ex omnibus tribunalibus non tantum cum ignominia proscribimur suaderent, sed & huic remario consilio nefaria insuper & foeda adderent convicia atque mendacia. Quamvis itaque ex iſtarum Civitatum statutis illud omnino conficiatur, quod in iis Doctores Juris odio aliquo pressi fuerint, indeque major in iis conviciandi ICTORUM licentia quam alibi obtinuerit, ut etiam Reformatio Goldastina in una earum natales suos accepisse videatur; (g) tamen inde non statim summe probabili, multo minus autem

(f) Apud GOLDASTUM R. S. T. II. p. 149. Hoc Decreto etiam Latine extat R. U. P. I. p. 166. seq. defumum ex MATTHIAE FLACCII ILLYRICI Catal. test. verit. p. 456. Similis plane propositio jam Concilio Constantensi facta legitur apud eundem GOLDASTUM R. S. T. II. p. 95.

(g) De Civitate Norimbergensi tamen merito dubitamus, cum FREDERICUS in Thear. Vir. Doct. p. 795. commemoret, quod ipso hoc Sec. XV. Noribergensi Senatu a consilio fuerit GREGORIUS HEIMBURG sub initium Basileensis Concilii Doctor Juris creatus.

autem certa scientia concludere licebit, eam ab istis Civitatibus in Comitiis quoque rite fuisse propositam.

CAPUT V.

REFORMATIO GOLDASTINA TANTUM PRIVATI CUJUSDAM OPUS ESSE VI- DETUR.

§. I.

Quum autem, uti haec tenus ostensum, Reformatio Goldasti-
na ob perpetuum & publicum Juris Romani in Germania
cultum neque ab Imperatore, neque a Principibus, neque a
Civitatibus in Comitiis Imperii proposita fuisse videatur, se-
quitur inde, quod pariter probabile non sit, eam publico
Principis cuiusdam aut Civitatis consilio, vel ipsius Imperato-
ris autoritate fuisse conscriptam. Non enim videatur quis
jussisse Reformationem Comitiali forma conscribere, quam
in Comitiis nunquam erat propositurus. Accedit, quod
ipse Reformationis Goldastinæ autor, utut passim insignem
status & prudentiæ civilis notitiam, imo non tam erudi-
tionis quam pietatis laudem præ se ferre videatur, tamen
in Artic. V. & VII. ubi de Jure Romano ejusque Doctori-
bus differere incipit, non tantum turpissimam utilissimæ
Scientiæ ignorantiam, sed liventem omnino invidiam ubi-
que fere prodat, falsas inde, non concludentes, & inter se
pugnantes rationes, perpetuos invidiæ comites, cumula-
tim proferens: quæ omnia a candore ac perspicuitate scri-
pti publici censorii & comitialiter proponendi in tantum
utique abhorrent, ut in dubio saltem privatum magis male-
ficium, quam publicum, censi debant. (b)

§. II.

(b) Maxime gaudeo hac in re, præter TABOREM, confidentiem ha-
bere B. STRYKIJUM, qui in Diff. prælim. U. M. P. §. 23. Privati-
homini, non Imperatoris sylum, Articulos illos & subjectas Declaratio-
nes

§. II.

Sic statim initio Artic. V. ut orationi suæ autoritatem conciliaret, ipsum Articulum ita proponere videtur, ac si expulsio Doctorum Juris revera jam decreta fuisset: nach laut der fürgenommenen Reformation; cum tamen mox contrarium fateatur, Reformationem hanc eine neue fürgenomme Ordnung appellans. Addit mox hanc sui consilii rationem, quod cuilibet homini naturalis & a Deo indita ratio sufficiat ad quasvis Juris controversias proprio Marte disceptandas, adeo, ut alieno auxilio, arte nimirum, minime indigeret: quo argumento, utpote vano ac falsissimo, ipse omnem Jurisprudentiam, cuius necessitatem & evidenter utilitatem omnes moratores gentes nunquam non valde prædicarunt, (i) tanquam non necessariam atque inutilem perperam revertere conatur. Illud enim omnes cordatores fatentur, quod, si unquam in ulla alia re, certe in causis justitiam spectantibus certitudinem, in quantum per hominem licet, scrutari & sectari debeamus, ne ulli damnum facile aut injuria afferri possit: & sic necessarium quoque & per quam utile est, justi injustique metas certis ac indubii regulis includi, sine quibus, præcipue in moralibus, saepe homines vacillarent. Has regulas autem non sola naturalis ratio sibi relicta, sed arte tantum exculta tradit; semina scientiae (k) natura dedit, scientiam ipsam non dedit. Cum autem ope Jurisprudentiae ad istam certitudinem pervenire liceat, sequitur, eam quoque in vita civili, quique ipsi vel docendo vel suadendo præ. aliis operam impendunt, JCtos insignem utique & necessarium usum præstare. (l)

E

§. III.

nes sapere dicit; adde cundem in Diff. de Jure Analyticer, quæ in Operibus ipsius nuperissime forma majori editis Vol. III. extat, Cap. VI. n. 13.

(i) Conf. THILO I. c. §. 46.

(k) SENECA Epist. 120.

(l) Plures Autores, qui de necessitate & utilitate Jurisprudentiae ergurunt, adducit STEGERUS Diff. de Honor. Veter. Histor. in proem. Maxime omnium hoc facit ex THILONIS diff. cit. §. 26. cum seqq.

§. III.

In Declaratione I. ad Artic. V. autor quidem vult, ut in singulis Germaniae Academiis tres Doctores Juris constituantur, quibus tamen nulla alia Jura in scholis suis docere permitteretur, quam quæ in judiciis & praxi recepta ac confirmata fuerint. Sed quomodo, quælo, id præstare poterunt, si ipsis, uti autor contendit, omnis ad judicia aditus denegetur, adeoque, quid usu fori obtineat, addiscere nequeant. Verbis deinde mox sequentibus totam suam sententiam ipse destruit, sibique manifesto contrarius est. Licet enim in Artic. V. omnes Doctores Juris ceu inutiles a judiciis penitus excludat, & plane in reliquis Declarationibus atro passim calamo eos perstringat, tanquam improbos, avaros, garrulos, non justitiae ministros, sed servos mercenarios & iniquitatis patronos, quibus, si verum dixit, ne minima quidem negotia concredi debuissent; tamen ipsis hic facultatem respondendi in causis arduis & majoris momenti tribuit, cum quibus omnino convenient, quæ in Declaratione IV. ab ipso dicuntur. Fatetur itaque nunc, dari posse causas, quibus dirimendis sola naturalis ratio non sit sufficiens: plane, cum JCtorum probitati ac arbitrio causas graviores committi posse putet, multo minus a decisione causarum leviorum, quæque minus arduæ sunt, eos arcere debuit, cum in illis facilius fraudem admittere, sive avaritiæ tutius, quam in his, litare possint: dolus quoque ipse in prioribus commissus gravius utique inferat damnum, quam quod ex injusta posteriorum decisione metuitur.

§. IV.

In Declaratione II. Autor plane absurdam sententiam fovet, dum Laicos, quibus hic omnes eos intelligit, qui Jurisprudentiam non addidicerunt, (m) melius ac promptius

justi-

(m) Egregie hic facit observatio HEINECII, qui *Hist. Jur. L. II.*
C. 4.

justitiam administratores esse afferit quam iurium peritos. Licet enim ipsi non de vitio intellectus, sed voluntatis tan-
tum sermo esset, tamen adhuc dicendum, quod omnia sce-
lera, quæ ipse in Jctis reprehendit, quæque sinceram ju-
stitiæ administrationem omnino impediunt, æque facile,
imo facilius ac citius in eos cadant, qui Themidis almæ
Sacris non fuerunt initiati nec imbuti, quiq; adeo igno-
rant, quam sollicite, &, vere dixerim, anxie æquitas inda-
ganda, quamque gravis poena justitiæ violatores maneat. (n)
Ex illa tamen, absurdâ licet, opinione autor deinde conclu-
dit, quod Jcti in judiciis non tantum non sint necessarii,
sed plane in iis tolerari nequeant. Addit grave convitium,
quod ipsius invidiam non obscure prodit: Jctos nimirum,
qui se Sacerdotes justitiæ dicere non dubitant, mercen-
arios servos & spuriros Themidis filios proterve appellat.
Eundem conviciandi pruritum porro in Declaratione III.
ostendit, cuius impulsu eo usque tandem prolabitur, ut
eriam ipsam Jurisprudentiam, tanquam istorum scelerum
causam, increpare, Jusque Romanum doctrinam pver-
fam, eine verfehlte Lehr, vocare non vereatur: cum tamen
omnia ista scelerâ Jurisprudentiae Romanæ sint mere acci-
dentalia, ipsis vero Jctis non universalia sed particularia
tantum, adeo ut, licet & Jctorum Ordo sua carcinomata

E 2 habeat,

C. 4. §. 98. in not. ita scribit: *Eodem Secundo (XV.) immo & multo ante etiam Francofurti ad Menum fuere Syndici Jurisperiti, qui eo seculo Pfaffen vocabantur, quemadmodum bidentium in Gallia, Anglia, & Belgio, Clerici, Clercken van Rechten, audiunt, qui scripturas faciunt. Feltmanni de Tit. bon. II. 20, 9.* Iterus enim de Grad. Acad. IX. s. pro-
ducit exemplum litterarum a. 1377. datarum, quibus Hermannus von Or-
be, Licentius Decret, proficitur, quod a Senatu Francofurtano conductus
sit Syndicus, (dass er Paff und Diener werden sey der Ersamen
Wissen Lude des Rades und der Stadt zu Franenförd) ubi Internus
recte obseruat Paffen ibi esse Syndicos, qui tum & Advocati.

(n) Conf. THILO *in diff. cit.* §. 73.

habeat , non tamen paucorum vitio in universum proscindi mereatur. (o)

§. V.

Postquam deinde Autor in Artic. VI. Clericos ab officiis & muneribus secularibus removeri suasit, mox in Artic. VII. omne Jus Romanum hactenus usitatum in toto Imperio Romano-Germanico abrogari & aboleri vult: causam hujus consilii impulsivam hanc allegans, ut pauperes cum ditionibus æquali jure frui possint, omnibusque justitia ex æquo administretur. Supponit itaque, Jus Romanum potentioribus plus favere quam inferioribus. Sed unde, quæso , ipse hoc probare poterit? contrarium sane testabatur, quicunque noverit, quod Jure Romano Praesides, Praefecti, cæterique Magistratus omnes privatorum tantum jure , non secus ac reliqui cives , exceptis duntaxat paucis quibusdam prærogativis personalibus officioque ipsorum annexis, usi fuerint. Addit tamen limitationem suæ assertioni : omnia nimurum Jura Romana cessare debere , nisi quæ recepta, quibusque legalis autoritas indubie concessa fuerit ; quænam vero illa sint , non indicat. Huic quidem Articulo quatuor quoque Declarationes subjungit , in quibus quis ulteriore ejus rei explicationem merito expectasset, ut sciretur, in quantum Jus Romanum vel abrogandum vel retinendum, & qua ratione hæc mutatio instituenda sit. Sed quod omnino ridiculum, in omnibus istis quatuor Declarationibus ne ullam quidem mentionem de abrogando Jure Romano facit , sed de alia plane re, de numero judiciorum in Imperio instituendorum, deque personis iis præficiendis agit: quin plane in verbis ultimis Declarationis IV. non abrogandum sed retinendum Jus Romanum dicere videatur: Man mag sich auch an all den Gerichten der Kaiserlichen Rechten recht gebrauchen; rursus tamen generaliter & indefinite addit: die mit rechten wahren grund erklärzt, angezeigt, und zugelassen sind, laut der gerichtsordnung.

§. VI.

(o) Ut eleganter dicit CONRINGIUS De O. J. G. C. 32.

§. VI.

Ex his & sexcentis aliis, quæ adhuc afferri possent, virtutis ac pudendis erroribus omnino satis elucescere arbitror, quod Reformatio Goldastina publici scripti fidem nullam mereatur. Nihil aliud itaque superest, quam ut privatum quendam hominem infamis istius carminis autorem fuisse dicamus, qui surentur invidiæ stimulis agitatus in egregiam artem ejusque sectatores non fœda tantum evomere convicia, sed insuper iis publicæ legis affingere formam nefando scelere ausus est. Et sane non solus ipse inter privatos est, qui Vatiniano prope odio Jurisprudentiam & JCTos profecti sunt, quorum tantus omnino numerus & olim extitit, & hodienum existit, ut vix aliquis reperiatur, qui, nisi ipse sit JCTus, parum honorifice & humane de ipsis eorumque officio sentiat. Præfertim vero apud Germanos odium istud ob nonnullas rationes particulares ipsisque proprias maxime invaluit, & tantum non ad omnes propagatum fuit, de quibus proinde nunc aliqua quoque dicenda sunt.

CAPUT VI.

DE CAUSIS, QUÆ JURI ROMANO ET JCTIS
ODIUM EXCITARUNT PRÆCIPUE
APUD GERMANOS.

§. I.

Inter primarias causas, quæ Juri Romano ejusque cultoribus contemtum ac odium in Germania excitarunt, merito refertur ipsa rei novitas, quam Germani aversati & jam olim execrati fuerunt; uiri insignis illa crudelitas, quam post Varianam cladem in causarum Patronos, referente FLORO, exercuerunt, satis demonstrat. (p) Nimirum

E 3 apud

(p) Hist. Rom. L. IV. C. 12. Multa hic facientia fuggerunt LUDEWIG.
Miscell. T. II. L. IV. Opusc. I. Differ. 16. p. 1037. seqq. nec non ITTERUS & HERTIUS ll. cc.

apud ipsos non antiquo tantum , sed recentiori adhuc ævo
 justitiae præcepta non certis quibusdam regulis inclusa , aut
 artis in formam redacta erant : nullæ apud eos Juris patriæ
 scholæ , & ne hodie quidem tales habemus . (q) Unde etiam ,
 cum Jus solo tantum usu forensi addisceretur , nonnisi senes
 ætate proiecti ad judicandi munus admittebantur , quorum
 judicium per longissimam annorum experientiam (atis firma-
 tum videbatur , dicti forsitan Grauen , seu Cani . His au-
 tem nova illa & Latina Romanorum Jurisprudentia omnino
 placere non potuit , urytote qui , ut de Latino sermone
 raceam , vix Germanice legere aut scribere sciebant , pleris-
 que tunc ex populo Laico legendi scribendique imperitis . (r)
 Præterea , postquam Jus Romanum , Sec . XII . & XIII . ob nomi-
 nis sui celebritatem a peregrinantibus primum ex Italia mi-
 nisterio Cæsarum , ut supra ostendi , in Germaniam allatum ,
 mox & in summo Imperii Tribunal publica Lege receptum ,
 constitutis Sec . XIV . & XV . Academiis , Vindobonensi ,
 Ingolstadiensi , Erfurtensi , Heidelbergensi , & maxime Pra-
 gensi publice nunc tradi ac doceri cooperat , ut nunc Juris-
 prudentia citius , etiam ab adolescentibus , addisceretur ; non
 potuerunt non inter istos senes & hos juvenes , qui & ipsi
 iudiciis nunc admovebantur , contentiones & rixæ frequen-
 tiores oriri , cum illi parum honestum sibi ducerent , ado-
 lesscentibus , quibus adhuc dubia vernent lanugine mala ,
 cum Jurisprudentia sua barbigera cedere , avitaque deferere
 præjudicia ; hi vero novas Juris Romani decisiones , soli-
 dioribus plerumque fundamentis subnixas , in omnibus fe-
 re causis , & quandoque cum insigni Juris patrii damno ,
 perpetuo urgerent , eo sine dubio argumento , quod secun-
 dum

(q) Adhuc Sec . XII . Germanos sine lege & ratione voluntatem suam pro-
 jure statuisse , testatur CONRADUS URSPERGENSIS ABBAS in Chront.
 ad a . 1171 . Clarius adhuc ad a . 1187 . dicit , quod Germani , præter
 Constitutionem Friderici I . de Pace Publica Norimbergæ hoc anno
 factam , alii legibus non urantur , tanquam genus agrestis & indomita .
 (r) CONRINGIUS De O . J . G . C . 25 . p . 153 .

dum eas in Summo Cæsaris Tribunal sententia ferantur. Ipsi hi JCTorum conatus ab omnibus fere , qui Reformatio- ni Goldastinæ pretium aliquod statuunt , afferri solent. Et nos quidem lubentes fatemur , quod JCTri nonnunquam ex nimia Juris Romani veneratione ea plane , quæ Jure Germanico optime , & ex genio nationis constituta erant , loco suo movere , iisque Juris Romani placita incongrue admodum surrogare tentaverint , (s) ut inde etiam nonnullorum ex Germanis circa patrii Juris conservationem privati labores natales suos accepisse videantur. (t) Non in tantum tamen ab ipsis hac in parte peccatum arbitror , ut Germani insignis utilitatis , quæ ex Juris Romani receptione vel direc- te vel indirecte ipsis obvenerat , penitus obliti JCTos cum Jure Romano tam dura Reformatione , qualis est Goldastina , dignos censuerint , præcipue cum & ejus autor , quisquis nunc ille sit , licet multo apparatu consilii sui rationes recen- feat , hujus tamen ne verbulo meminerit , quam si vera es- set , utique inter præcipias connumerasset. Plane ab isto periculo , si quid etiam momenti habuit , Germaniae pub- licis Legibus jam satis cautum videri potuit , cum nulla fe- re etiam ex Sec. XV. Imperii Constitutio occurrat , in qua non Leges ac Consuetudines cujusque loci aut provinciæ expresse confirmarentur , quas proinde JCTri temere negli- gere non potuerunt. Idem postea Ordinationes Camerales eo usque extenderunt , ut in iis Assessores jurato plane promittere juberentur , se mores primum , statuta , & Leges cujusque loci in judicando observatuuros , redliche , erbare , und

(s) Exempla hujus rei post alios recenset STEINIUS in *Disquis. Hist. Jurid. an & quat. Juri Rom. comp. prærog. pra. Jur. Germ.* C. I. §. 15. n. c.

(t) Tam certum , quam certissimum esse ait HEINECCIUS *Hist. Jur. I. II. §. 73.* non aliam ob causam ab his temporibus scribi cepisse tot leges provinciales ac statuta , quam ut irruentibus in forum iuribus ipsis pere- grinis (Canonico & Romano) obicem ponerent Principes ac Civitates. Arbitror tamen , quod Juris Canonici magis quam Romani receptio hanc Germanis sollicitudinem injecerit ; rationem differentiæ colli- gas ex iis , quæ autor *Spec. Saxon.* L. I. Art. 3. dicit.

und leibliche Ordnungen, statuten und gewohnheiten; & non nisi his deficientibus Jus Romanum adhibituros esse, quæ omnia praxis servat. Similis in plerisque Germaniae Academias Juramenti formula Jurium quoque Candidatis proponi solet.

§. II.

Alteram causam (u) odio Germanorum erga JCTos dedit difficilior processus Pontificii ratio, qui cum ipsis Doctoribus Juris in judiciis vigere cœperat. Jus Canonicum quidem jam per multos annos ante publicam Juris Romani receptionem insignem in judiciis Ecclesiasticis auctoritatem apud Germanos obtinuerat; (x) quæ inde paulatim ad secularia quoque judicia transiisse videtur, cum Autor Speculi Suevici, qui sub finem Sec. XIII. a plerisque vixisse creditur, jam dixerit: usi den zweyern büchern Decret und Decretal nimmt man all die Recht, der geistlichen und weltlichen gericht bedarf. Ipsum tamen Processum Juris Pontificii demum post medium Sec. XIV. in judiciis penitus invaluisse arbitror, postquam nimirum institutis Academias Jus quoque Canonicum cum Romano publice doceri, eorumque Doctores judiciis admoveri cœperant: ita ut, licet Germani eodem fere tempore Jus quoque Romanum adoptarint, tamen processum Juris Pontificii processui Juris Romani ob varias rationes præferre ac sequi maluerint. Iste autem processus novus vulgo Germanorum admodum invitus erat, priscis ipsorum moribus aperre contrarius. Antea enim eorum Judices quascunque lites de plano & sine multis ambagibus decidere, causasque, si que parum etiam arduæ occurrabant, ferro potius ac armis dirimere consueverant, adeo, ut etiam in defectu probationis ordinariae ad extraordinarias & superstitiones, a

Jure

(u) Consule hic, si placet, CONRINGIUM, HERTIUM, & ITTERUM ll. cc.

(x) Quod ex Constitutione Frid. II. Imp. de a. 1235. ostendit THOMASIUS Caut. circ. præcogn. Jur. Eccles. C. 21.

Jure Canonico vulgares dictas & omnino reprobatas, dilaberentur, quæ Ordalii nomine insigniebantur; vel duellum decernerent, quæ erat solennis quædam & judicis autoritate suscepta decertatio sub ea conditione, ut pars victa causa caderet, & pro confessâ ac convicta haberetur. (y) Cum iraque Jurisprudentia Germanorum forensis ab ea Juris Pontificii toto cœlo distaret, illud præter spem evenit, ut Germanorum multi in hanc, quicque eam defendebant, Doctores Juris implacabile fere odium conceperint, cum potius mirari debuissent, legibus terminari lites, quæ adhuc armis finitæ fuerint. Male igitur nonnulli (z) invehuntur in receptionem Juris Romani, quod nunc post eam lites sint perpetuae, & male ordinata judicia; hoc enim, si quid etiam veritatis habet, ad Jus Romanum tamen vix pertinet, cum Processus judicialis, quo nunc Germania utitur, minus ex Jure Romano quam Canonico descendat, & ipsæ cavillationes, quibus rabulæ utuntur ad prorogandas & pervertendas lites, non ex isto, imo ne ex hoc quidem, sed hujus tantum occasione proveniant. (a)

F

§. III.

(y) Duella hæc insignem partem celeberrimi Juris manuarii constituebant, quod demum Maximilianus I. Imp. publicata Pace Publica instituta Camera Imperiali vix penitus eradicare potuit. Conf. omnino BRUNQUELL. Hist. Jur. P. IV. C. 5. Vulgarium vero illarum probationum varias species formanque plane monstram præter Autores a THOMASIO in Diff. de Oœaf. Concept. ac Intent. Conf. Crim. Carol. §. 19. seqq. & notis adjunctis allegatos, ipse etiam THOMASUS ibidem, nec non BANGERTUS ad Helmoldi Chron. Slav. L. I. C. 83. & OLAUS WORMIUS Monum. Dan. L. I. c. 11. multo studio sicutunt.

(z) Inter quos etiam est SIMLERUS Hist. Helv. L. II. Tit. Publici Conventus sive Senatus Helvetica §. 8. Tadet ea commemorare, quæ POGGIUS ille Florentinus Conv. II. contra Jurisprudentiam Romanam ejusque Doctores congerit, passim ab aliis producta, facillimo negotio diluenda. Vindictæ sane parum cupidi nolumus ea impetrari, quæ POGGIUM interdicto de Cloacis irridentem meruisse LUDEWIGIUS pronuntiat in not. 144. ad Praef. Consil. Hallens. præmissam.

(a) Quamvis CUJACIUS in notis ad C. I. X. ut lit. pend. nib. innov. de hoc

§. III.

Tertia causa, quæ JCtis in genere, & apud alios, non Germanos tantum, odium suscitavit, quam etiam Reformatio Goldastina ut primariam recenseret, fuit, quod sanctissimo iporum ordinu nullo non tempore immixti fuerint pessimi quidam vitilitigatores, non sacerdotes justitiae, sed iniquitatis patroni, qui nihil aliud didicerunt, quam bonam causam corrumpere, malam vero infinitum protrahere, omnibus titulis Juris tam Divini quam Humani pessime abutentes. (b) Inde enim mox paucorum virtus in omnium culpam tracta fuerunt, & hodienum trahuntur, in tantum, ut omnes fere JCtis fœditate ipsa contaminati, suoque fine tam turpiter excidisse credantur: quasi vero Divini Numinis gratia facultatem ac vires sectandi bona fugiendique mala, quas reliquis hominibus largitur, ipsis solis denegasset; quibus adeo impossibile esset, conscientiam a seculi corruptione puram ac intactam servare. Sed utnam hi iniqui Judices non ipsam utilissimam & felicitatem humanæ omnino necessariam scientiam tanquam istorum scelerum causam proterve incusarent. Allegant nimirum litium multitudinem & diuturnitatem, quæ post receptionem Juris Romani maxime invaluerint; & ipse CONRIGIUS (c) non dubitat asserere: *leges forensium actionum non vacare vicio.* Sed debuissent probe perpendere, quod scelera, quæ saepius in judiciis grassantur, ex voluntate

hoc capite non dubitaverit dicere, quod illa species explicari difficulter, & certissimum indicium longioris moræ judiciorum, que per diversicula ac veluti meandros quoddam queritur ab utraque parte, etiam hodie in urbe Roma: nullus est profecto in Orbe locus, in quo lites prolixioribus & ambagibus & fallacis intricantur. Add. eund. ad C. 11. X. de probaz. nec non THOMASIUM in Observ. ad Melch. v. Offic. Testam. C. 16. n. 214. & THILONEM l. c. §. 64. seqq.

(b) Quorum virtus graphicè depingit, & false perstringit PRASCHIUS in J. Cto vero & personato.

(c) De O. J. G. C. 34. p. 224.

luntate hominum depravata, non vero ex intellectu solidis justi regulis instructo proveniant. Ipsum studium Juris Romani neminem scelestum aut improbum reddit; potius ad veræ iustitiae præcepta constanter omnes impellit, utrī aureum illud PAPINIANI dictum (d) vel solum docere potest: quæ facta lœdunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & ut generaliter dixerim, contra bonos mores sunt, ea nec facere nos posse credendum est. Litium quoque multitudine & diuturnitas non ex Legibus, sed ex malitia tum Advocatorum & Judicium, tum ipsorum litigantium plerumque ortum suum trahit. Actionem enim, quas Romanum saltem Jus concedit, nulla fere Juri Naturali contraria est, & sic nulla in se iusta: quin plane Leges Romanæ, cum nudis pactis, quæ Jure Naturali & Germanico plenariam obligandi vim producunt, actionem in foro denegent, insignem eo ipso litium numerum & materiam e medio tollant. Earum quoque decisiones subtilem quidem nonnunquam, æquissimæ tamen sunt; quod autem multi rabulæ iis utantur ad infidias simplicibus struendas, id ex accidenti & occasione tantum Juris Romani fit: & sane malevolis hominibus, qui alienis inhiant bonis, materia ac media ad fallendos alios nunquam defutura erunt. Utique autem post receptionem Juris Romani, sublata ista Jurisprudentia manuaria, causæ majori nunc cura ac ordine decidi

F 2

(d) In L. 15. ff. de Cond. & Dem. Lubet hic apponere judicium B. Lutheri de Jure Romano, quod ex Tom. I. Jenens. ad Psalm. 101. STRYKUS differt. prelim. U. M. P. §. 42. inseruit: Das Kaiserliche Recht, nach welchem das Röm. Reich noch heutiges Tages regiert, und bis an den jüngsten Tag bleiben wird, ist ja nichts anders, denn heidnische Weisheit, welches die Römer, die denn Rom von Christen oder von Gott selber nichts gehörêt hat, gesetz und geordnet haben. Und ich achte wol, wenn jetzt alle Juristen in einen Kuchen gebakken, und alle Weisen in einen Trank gebrauen würden, sie solten nicht allein die Sachen und Händel ungefasset lassen, sondern auch nicht so wohl davon reden und dencken können. Denn solche Leute haben sich in grossen Händeln müssen üben, sind dazu mit hoher Vernunft und Verstand begabt gewest. Summa, sie haben gelebt, und werden nicht mehr leben, die solche Weisheit im welt. Regiment gehabt haben.

decidi solitæ, non possunt non aliquanto diutius in judiciis morari; vitiis vero, si quæ exinde in processum hodiernum irreperint, non in tantum quis moveri debet, ut omnem Jurisprudentiam Romanam, cuius sane exiguum partem processuum forma constituit, penitus eliminandam censeat, (e) cum illa vel unica sincera Reformatione, communī consensu facta, facili negotio tolli ac sanari possint. Ipse porro legum copia, de qua etiam a multis querela moveri solet, non tantum utilitati publicæ nocet, quantum earum paucitas: hæc enim, quod omnino periculi plenum est, plerasque causas arbitrio judicis relinquit. Imo illa multitudine legum dummodo sint claræ ac perspicue, adeo nihil obest, ut eam plane necessariam hodie existimem, & jam tempore Reformationis Goldastinæ ob multitudinem negotiorum, quæ tum maxime invaluerat, necessariam fuisse. Non enim primæva illa Germanorum simplicitate morumque puritate, quam TACITUS celebravit, vivebatur, sed cum affectibus & novis cupiditatibus malitia quoque hominum creverat, qui, quod olim apud Romanos quoque sæpius contigit, spreta legum simplicitate, variis excogitatis artibus, aliorum jura violare ac subvertere conabantur, quod vel toties repetitæ pacis publicæ sanctiones clare docent. Unde omnino ad reprimendam ac eludendam improborum libidinem ampliori legum apparatu, jam olim necessario Romanis viso, opus erat, quibus singulorum jura, certis limitibus definita, contra turbatores in tuto collocarentur: & sic, crescentibus vitiis, legum quoque numerum crescere oportuit. (f) Multi quoque Jus hoc nostrum incertum & ambiguum esse clamitant, ad singulorum ingenia flexile. Et quidem fatendum est, quod superioribus seculis multi inanis gloriae captandæ spe immanes in

(e) Quod tamen multis, & præcipue THOMASIO passim in notis ad cit. test. contigisse videmus.

(f) Conf. THILO in cit. diff. §. 61. & seq.

in Jus nostrum commentarios conjecerint, (g) inter quos vel æmulatione vel invidia studium contradicendi adeo invaluit, ut inde etiam Jus illud variis in partibus maxime controversum & perplexum redderetur. Non tamen cum SCALIGERO (b) exinde statim inferrem: *Jurisprudentiam ex Matrona factam fuisse meretricem, ex Regina tyrannam, ex matre novercam*; & modum plane omnem excedit ^æ*ξησις* qua TIRAQUELLUS in recensendis questionibus controversis saepius utitur, ita ex iis concludens: *nihil est in Jure nostro non ambiguum & disputationibus ac controversis involutum.* Sane uni quæstioni dubiæ centum aliæ minime controversæ opponi possunt; non addam, quod superioribus seculis multæ quæstiones inextricabiles visæ fuerint, de quibus tamen hodie quis hand facile dubitaverit: quod vero haec omnia Jurisprudentiæ accident magis, quam ex natura rei cohærent, ipse rationibus allegatis afferit TIRAQUELLUS. (i)

§. IV.

Generalem denique JCtorum contermtum ac odium promovent calumniosa ipforum litigantium maledicta, quæ quotidie in causarum patronos sine discrimine effundere solent. Scilicet nulla unquam causa in judicio agitatur, quam non duæ ad minimum contrarie partes inter se disceptent; neget altera, altera affirmat: quælibet suam iustissimam arbitratur causam, cum tamen unica tantum victrix abire posse, altera victa. Victoria quidem suum patronum prædicat, celebrat, atque ob summam probitatem jurisque peritiam amplissimis laudibus evebit: quo encorio ornatus tamdiu etiam fruiatur, donec & ipse contrariam aliquando Judicis sententiam experatur. Tum vero infelix Advocatus a suo cliente non minus,

F 3

quam,

(g) Eos in tres Classes, Descriptorum, Excusorum, & Argutatorum, scite distinguit PRASCHIUS l. c. §. 7. & seqq.

(b) Art. Poet. L. III. C. 3.

(i) In Pref. Comment. in L. Si unquam. C. de Revoc. Donat.

quam, ubi victoriam reportavit, ab aduersa parte, quibus non laceratur contumeliis? que non calumniae in ipsum evomuntur ac convicia? execrantur eum, quorquot ea sententia lucellum aliquod saepius injustum amiserunt, infausis omnibus prosequuntur, imo Divis ipsis aliquando devovent Advocatum suum, cui tamen, si res aquiore animo perpendatur, saepius nulla poterat imputari culpa; sed vel ipsius causae vitium, vel Judicis iniustitia, vel ipsorum denique partium litigantium negligentia accusari debebat. (k) Cum itaque famosum istud odium, quo vulgus Germanorum JCTos excepsisse vidimus, adeo omni ratione destituantur, ut ejus etiam iniquitas vel parum sapienti velut in oculos statim incurrat, inde, si etiam de publico JCTorum honore aliunde nobis non constaret, tamen tuto concludere possumus, quod minime probabile sit, illud unquam ab Ordinibus Imperii in Comitiis, ubi subactiori cuncta judicio examinari solent, fuisse approbatum: ut adeo Reformatione Goldastinæ exinde ne ulla quidem publicæ autoritatis species accedere possit.

SECTIO SECUNDA. REFORMATIO GOLDASTINA NULLUM UNQUAM JURIS EFFECTUM HABUIT.

Ex iis, quæ hactenus dicta fuerunt, satis, ni fallor, cuius patere arbitror, Reformationem Goldastinam insigne quidem odii Germanorum erga JCTos testimonium præbere ac documentum, non publicum tamen, sed privatum, cum probari nequeat, eam unquam publico consilio in Comitiis propositam fuisse: multo minus autem Legem esse Imperii publicam ac Comitialem, qua olim JCTi cum Jure Romano ab omnibus Germaniæ Tribunalibus, unanimi Ordinum consensu, ignominiose proscripti fuissent. Sed ne

(k) Sunt verba ITTERI De Grad. &c Hon. Acad. C. 9. §. 21.

ne huic sententiæ studio partium nimis tenuaciter insistere videamur, demus paulisper, publica eam autoritate conscriptam, inque Comitiis propositam, imo plane comitialiter decretam fuisse atque sanctitatem; de eo tamen certissimis quemque argumentis convicti sumus, quod illa, saltem quod ad Artic. V. & VII. attinet, nullum unquam effectum Juris sortita, sed statim ab Ordinibus Imperii, si non expresse, tamen tacite & ipso facto fuerit revocata. Autoritas enim Romani Juris & JCtorum a temporibus Reformationis Goldastinæ non tantum non debilitata aut immunita, sed plane indies aucta, stabilita, ac confirmata fuit. Ipse **HIPPOLYTHUS A LAPIDE**, & quicunque huic Reformationi aliqua ratione patrocinantur, hoc etiam inviti fateri tenentur; ille maxime, cum, eam in effectum aliquando deduci, nuncupatis ad Deum votis temeraria religione exoptet, eo ipso clare profitetur, quod effectum hactenus consecuta non fuerit. Gravissimum pro hac sententia argumentum illud quoque suppeditat, quod nusquam alibi in ullo publico Imperii scripto, & nequidem in Reformatione Francofurtrana de a. 1442. quam proinde Reformatio Goldasti ex ipsius computatione anno tantum præcedit, mentio aliqua de hac Juris Romani & JCtorum proscriptione fiat, quæ tamen ob maximum sui momentum omnino commemoranda fuisset. (1) Ut adeo, concessio etiam, quod ipsa publice aliquando decreta fuerit, vel hoc solo argumen-

to

(1) Exstat ea R. U. P. I. p. 170. Quin plane in ipso hujus Reformatio-nis §. 1. Fridericus III. Jura Romana laudasse videatur sub nomine der gleichen, billigen, landtößigen Rechten; quæ jura enim per landtößige Rechte intelligantur, indicat ipse Reformationis Goldastinæ autor, dum in Art. VII. Jura Romana vocat: so bisher im heiligen Römischen Reich gebraucht und dafür gehalten sind. Add. Pax Publ. Nordinensis de a. 1466. §. 18. &c. 22. R. U. P. I. p. 200. Rec. Imp. Nor. de eod. an. §. 8. R. U. P. I. p. 209. Constitutio Pac. Publ. Neostad. de a. 1467. §. 4. R. U. P. I. p. 225. nec non Gutachten der Erbfürsten und Fürsten ej. a. §. 4. R. U. P. I. p. 216. quibus cunctis in locis mentio Juris Romani facta videtur.

to maxime probabile fiat , eam in effectum nunquam fuisse deductam . Sed hoc ipsum , ut omnis dubitandi occasio in perpetuum auferatur , aliis adhuc compluribus , iisque indubii argumentis , ulterius ostendere conabimur ; & primo quidem loco de fatis Juris Romani Reformationem Goldastinam insecuris , utpote a quibus Doctorum Juris sors ac fortuna , necessario iplis nexus juncta pendet , dicturi sumus .

CAPUT I.

REFORMATIONIS GOLDASTINÆ ARTICULUS VII. IN EFFECTUM NUNQUAM DDUCTUS FUIT.

S. I.

Ante omnia hic monendum , quod , cum Autor Reformationis Goldastinæ non absolute , sed sub ea tantum limitatione omne Jus Romanum rejiciat , nisi illud aliquo in casu speciali expressè receptum doceri posset , id potissimum mihi probandum incumbat : Jus Romanum , uti jam ante dictam Reformationem in Germania non per partes , sed in complexu , collective , & ob rationes generales receptum fuit ; (m) sic & post eam eodem modo retentum fuisse , ut adeo

(m) Quod ex locis , qua superius adduximus clare patet . Licet enim Sec. XII. & XIII. Juris Romani in Germania autoritas per partes tantum primum invaluisse videatur , ea tamen mox Sec. XIV. a Ludovico Bavaro & Ordinibus Imperii tam forma quam effectu universalis reddita fuit . Nimurum Constitutione hunc in finem promulgata generaliter vult , ut in Judicio Cæsaris aulico omnes judicentur nach König und Kaisern Vorwärts an dem Römischen Reich Gesetz , und ire geschriften rechten . Und etiam ab hoc tempore Jus Romanum , si qua ejus mentio in Constitutionibus Imperii occurrit , qua generalem judiciorum & Juris regulam laudari superius vidimus . Ipse Reformationis Goldastinæ autor generalem ejus observantiam fatetur , dum in Artic. VII. ea Juris Romani capita retinerti suadet , qua specialiter fuerint recepta ; inde enim haec opponit Juri Romano in genere , quod per totum hactenus Imperium usu obtinuisse dicit . Postquam

adeo in foro Jus Romanum allegans non teneatur probare; illud in casu, de quo quæstio moveatur, specialiter receputum esse, sed, si Jura patria deficiant, fundatam omnino, ut ajunt, intentionem habeat. Unde nec opus est, ut amplam earum Imperii Constitutionum mentionem faciam, quibus hæc vel illa decisio Juris Romani in singulari aliquo casu expresse laudata, approbata, & quandoque contra ipsos mores patrios recepta fuit; (n) hæc omnes enim contra Reformationis istius autorem nihil probant.

§. II.

Jus itaque Romanum etiam post Reformationem Goldastinam autoritatem in toto suo complexu servasse, probatur primo ex Constitutione Pacis Publicæ quinquennali a Friderico III. Imp. Neostadii a. 1467. facta, (o) in qua Imperator ita loquitur: Und nachdem nun in geistlichen und Beyfertlichen geschriebenen Rechten, auch in den gulden Bullen unsers Vorfahren am Reich Keyser Carl des vierten, loblicher Gedächtniß, und darzu in der obgemeldten unser Königlichen Reformation oder gemein Friede, auch bey hohen und schweren Peenen zu halten geboten zt. Hoc loco, uti & passim alibi, Fridericus III. Reformationis quidem a se fæcet meminit, quam nimirum Francofurti a. 1442. uti Imperator

G

nimirum Jura Romana in supremo Imperii Tribunal generaliter semel recepta erant, sensim illa in judiciis quoque inferioribus universalem sibi autoritatem quæferunt, mox & a Doctoribus Juris, qui post institutas Academias negotis forensibus frequentiori nunc numero intercesserant, omnibus studiofius commendataam.

(n) Per multa hujus rei exempla in Ordinationibus Cameralibus, Wormatiensi præcipue de a. 1495. §. 21. segg. R. A. P. II. p. 9. Ratisbonensi de a. 1508. Ordnung der Termint am Kaiserlichen Cammer Gericht zu halten, R. A. P. II. p. 123. nec non in Edict. Noriberg. de a. 1521. Nemesis Carolina, Rec. Imp. Spir. de a. 1600. Rec. Imp. nov. aliae que compluribus in locis passim occurunt.

(o) R. A. P. I. p. 225. & apud GOLDASTUM R. S. T. I. p. 182.
qui pro Nutzenstatt legit Wilbenstatt,

perator in ipsa hac Constitutioe fatetur, instituit, quæ & in vulgato Recessuum Codice post Auream Bullam Caroli IV. primam paginam constituit. Ea autem omnino diversa est ab illa spuria, quam GOLDASTUS profert, ab hac proinde probe fecernenda. Porro in Confirmatione Pacis Publicæ Ratisbonensi de a. 1471. (p) & Augustana de a. 1474. (q) in violatores Pacis Publicæ constituantur, die peenent der gemeinen geschriebenen Rechten und der Königlichen Reformation zu Frankfurt. Similiter in Mandato Friderici III. de a. 1476. (r) latrocinia prohibentur sub pena der gemeinen geschriebenen Rechten, guilden bullen und Reformation. Pax Publica Francofurtana de a. 1486. loco der Kaischerlichen geschriebenen Rechten, item der gemeinen geschriebenen Rechten substituit Jura Imperii communia: zufamt andern Penen des gemeinen Reichs Recht, unser Königlichen Reformation, und unser sveren Ungnade zu vermeiden; & in fine: Und soll diser Fride und Gebote dem Gemeinen unsern und des Reichs Recht und andern Geboten, vormahls ußgangen, nit abbrennen, sondern das meren. (s) Iisdem plane verbis postea Pax Publica Wormatiæ a. 1495. a Maximiliano I. (t) ibidemque a. 1521. a Carolo V. promulgata fuit. (u)

§. III.

Insecuta mox Cameræ Imperialis constitutio Juris Romanii autoritatem in universum Germanis probatam ostendit. Postquam nimirum in Comitiis habitis sub Friderico III. Norim-

(p) §. 1. Zum ersten das nu furter nyemant ic. R. A. P. I. p. 244.

(q) §. 1. R. A. P. I. p. 261.

(r) §. 5. apud GOLDASTUM R. S. T. II. p. 171.

(s) R. A. P. I. p. 275. §. 9. & 10.

(t) R. A. P. II. p. 1. §. 10. & 12.

(u) Ordnung des Landfriedens zu Worms a. 1521. Art. XVII. §. 2. Art. XIX. Art. XX. §. 5. Add. Pax Publica Augustana de a. 1548. Art. 28.

Norimbergæ a. 1467. (x) & 1487. (y) nec non Franco-furti a. 1489. (z) Ordines de Camerali judicio stabili sede locando sacerdos deliberaverant, inque iis plures ejus Judicij formulas Imperatori exhibuerant, quas & ipse jam a. 1471. publicasse viderunt; (a) tandem sub Maximiliano I. Imp. res ad optatum finem perducta, Cameraque Imperialis in perpetuum nunc fundata, ad normam praecedentium delibera-tionum, paucis tantum mutatis, adornata fuit. Quo enim summi hujus tribunalis Assessores scirent, secundum quas leges ipsis judicandum esset, proposita certa juramenti formula iis injunctum fuit, ut promitterent, se secundum Jura Romana esse judicaturos: Item die alle (Judices & Assessores) sollemniter uniuscuiuslibet etiam Cameræ stat globen, und zu den Heiligen schweren, unnerm Königlichen oder Keyslerlichen Cammergericht getrewlich und mit Fleiß ob zu sein, und nach des Reichs Gemainen Rechten, auch nach rechlichen, erbern und leydlichen Ordnungen, Statuten und Gewonheyten der Fürstenthumb, Herrschaften und Gericht zu richten. (b) Ipsa haec Juramenti formula jam in Comitiis Noricis de a. 1487. ab Ordinibus instituendæ Cameræ Assessoriis præscripta, imo jam in anterioribus Ordinum

G 2

deli-

(x) §. 7. R. A. P. L p. 216.

(y) Ut colligi potest ex Pac. Publ. Norimb. de a. 1487. R. A. P. L p. 280.

(z) Rec. Imp. Francos. de a. 1489. §. 11. R. A. P. L p. 288.

(a) In der Ordnung des Kayserl. Cammer-Gerichts Anno 1471. R. A. P. L p. 249.

(b) Omessa quidem est haec formula in Ordinatione Camerali de a. 1495. prouti nimurum hac in vulgato Corpore Recessuum exhibetur; sed eam omnino dictæ Ord. Cam. insertam fuisse, patet ex Erneuter Ordnung elictor punctis den gerichtlichen Proces des Kayserlichen Cammergerichts betreffend anno 1538. facta ubi sub titulo: folgen die app der ver-sohnen zum Cammergericht gehörig, primo loco haberur des Richters und der Urthauer apd, wie der auf dem Reichstag zu Wormbs anno 1495. auffgerichtet, mit dem anhang auf dem Reichstag zu Wormbs geordnet; unde illa in novissima Recessuum editione optima ratione eidem inserita fuit. Conf. omnino DATTIUS de P. J. P. L IV. C. L n. 112. & seq.

deliberationibus, de quibus modo dixi, concepta fuisse videtur, (c) unde illa postea in Ordinationem Cameralem de a. 1495. migravit; (d) repetita quoque in Ordinatione Camerali de a. 1555. (e) in qua præterea Assessores disertis verbis jubentur *nach des Reichs gemeinen Rechten*, nach ihrer besten Verständniß, und nicht aus eigen gesuchtem, und nicht auf den Rechten informirten Gewissen, gleich richten und urtheilen.

§. IV.

Conspirant cum Ordinatione Camerali de a. 1495. aliae adhuc Maximiliani I. Constitutiones, præcipue Constitutio contra blasphemos in iisdem Comitiis Wormatiensibus facta. Rogabant tunc Imperatorem Status Wormatiae congregati, ut ipse contra blasphemias, quæ tunc increbescebant, mit frevelich Lesteringe des Namens, der Glieder, und Marter Gotes und seiner Muter der Jungfränen Marien und seiner Heiligen, eyn gemein offenbar Gebot in dem Heiligen Reich Devotscher Nation ausgehen und proclamiren lasse, darinnen er solch frevelich Lestering ernstlich verbite bey den Penen des gemeynen geschriben Rechten. (ee) Et mox ad placiti hujus Imperialis tenorem concepta fuit Maximiliani Regis contra blasphemos sanctio: Königliche Satzung von den Gotteslästerern zu Worms anno 1495. auffgericht: quæ non ad Legislationem aliquam, uti DATTIUS loquitur, (f) Germanicorum Cæsarum, aut Jura Germanica, sed ad Constitutionem JUSTINIANI in Novella

LXXVII.

(c) Docente DATTIO l.c. n. 182.

(d) Relata quoque fuit in Tabulas prorogati Fœderis Suevici de a. 1496. §. 6. de a. 1512. Art. XIII. & de a. 1521. Art. XV. apud DATTIUM l.c. p. 327. 385. & 409.

(e) P. L. T. LVII. & P. III. T. LIIL §. 9.

(ee) Abschied und Beschle auf dem Reichs-Tag zu Worms Aucto 1495. §. 36. R. A. P. II. p. 24.

(f) l.c. n. 136. qui omnino hic consulendus.

LXXVII. *Ut non luxurientur homines contra naturam, nec jurent per capillos Dei &c. facta est. Notatu digna omnino sunt verba Imperatoris, cum Juris Romani autoritatem perspicue doceant; ita enim dicit: Demnach zu mehrer Nachfolg und Ehr Gottes, und der Menschen Heyl Weyland Bayser Justinianus unser Vorfahr am Reich loblicher Gedachten usw. nunc dictam Novellam verbotenus fere repetit & interpretatur; in fine vero subjungit, quod blasphemii in des Reichs Ungnad und Straff gefallen seyn sollen, Wie dann solches des izegemelten unsers Vorfahren Satzung klarlich ausweiset. (g) Videmus hinc, Imperatorem Maximilianum Juri Romano autoritatem, non tantum quod receptum fuerit, sed plane etiam vi imperii, erronea licet, (b) non ambigua tamen opinione tribuisse. Ipse tamen poenam in dicta Novella contra blasphemos statutam ulterius hic extendit & exacerbavit, indeque est, quod postea Carolus V. (i) ejus constitutionem a Jure Communi Cæsareo distinxerit.*

§. V.

Mortuo Maximiliano I. non decrevit Juris Romani apud Germanos autoritas, sed novis potius sanctionibus ab Imperatoribus subinde stabilita ac roborata fuit. Prae reliquis imprimis Nemesia Carolina a. 1530. solenniter totius Imperii consensu publicata etiam indubie probat. Imperator enim non tantum in præfatione perspicue dicit, quod hanc suam Constitutionem eum in finem primario edat, ut Jus Romanum eo curatius ac strictius observetur, sed & in ipsa Constitutione frequentissime ad illud provocat: (k) imo in Articulo CXXXV. vult, daß in diesen und

G · 3

anderen

(g) R. Q. P. II. p. 28. Addre Reform. Polit. Aug. de a. 1530. Art. I. & Francof. de a. 1577. T. I. §. 1.

(b) Vide THOMASIUM in nota 48. ad Culpissi Diff. Epist.

(i) In Constitutionis Criminalis Art. CVI.

(k) Numquam Art. CXVII. CXIX. CXX. &c. passim.

andern dergleichen Fällen unser Bayßerlich geschrieben Rechte gehalten werden soll. Ipse porro in Reformatione Politica Augustana de a. 1530. (l) contractus usurarios plane ex ea ratione prohibet, quod Jus Romanum eos prohibeat; dicit enim: Dieweil aber solche und dergleichen Contract auch der Bucher ungöttlich in gemeinen beschriebenen Rechten ic. Ex innumeris aliis, quæ adhuc afferri possent, argumentis unicum tantum apponam; quod scilicet ad exemplum Ordinationis Cameralis in Ordinatione quoque Judicij Aulici Assessores jurare jubeantur, se nach des Reichs Constitutionen und denen gemeinen geschriebenen Rechten judicatueros esse. (m)

§. VI.

Illud autem hic tanquam certum utique agnosco, quod in Constitutionibus Imperii per gemeine Rechte, Bayßerliche geschriebene Rechte, nec non gemeine geschriebene Rechte & gemeine Reichsrecht, si non semper, tamen plerunque, saltem in locis modo adductis, Jura quoque Romana intelligantur. Evidem in alia omnia ire video illustrem CULPISIUM, (n) quique hunc, dubia licer mente, sequitur, THOMASIUM, (o) quamvis sibi hac in parte parum constare videantur. Putat nimirum CULPISIUS, posse sub formula gemeiner Rechte Jura quoque Germanica venire: cui & nos eatenus al- tentimus,

(l) Art. XXVI. §. 7. & post eum Maximilianus II. in Reformat. Polit. de a. 1577. T. XVII. §. 8.

(m) Vid. T. I. §. 21. Und weilen dann Ord. Jud. Aul. de a. 1654. N. 2. Append. p. 74. His adde Ord. Cam. Worm. de a. 1495. §. 10. & 24. Ordin. Notar. de a. 1512. Tit. von Testamenten & passim. Rec. Imp. Spir. de a. 1529. §. 34. Rec. Imp. Erfurt. de a. 1567. §. 62. §. 4. Reform. Polit. Francof. de a. 1577. T. 18. §. 1. & T. 32. §. 1.

(n) In Differt. Epist. §. 77. &c seqq.

(o) In notis ad cit. diff. Epist. Adde ejusdem Caut. circa Præcogn. Jur. Ecclesi. C. 21. ubi sub voce gemeiner rechte Jus Canonicum intelligendum esse affirmat.

fentimus , quatenus illa formula occurrit in monumentis Seculi XVI. aut XVII. quibus nimis temporibus jam insignem Legum Germanicarum communium numerum extitisse constat. Verum de temporibus institutionem Cameræ Imperialis præcedentibus non idem dicendum arbitror. Nam Sec. XIV. & adhuc XV. paucissimæ erant Imperii Constitutiones communes, in quibus præterea, si ea, quæ ad statum publicum pertinent, & sèpius iteratas Pacis Publicæ sanctiones tollas, nequaquam reperiuntur, ad quæ sequiores Imperii Constitutiones tanquam ad communem omnium judiciorum regulam provocare potuissent. Jura Saxonica quidem & Suevica iis temporibus in usu fuerunt ; sed nulla haec tenus Constitutio producta fuit, in qua illa sub nomine gemeiner Rechte venire demonstrari posset. Sane in Constitutionibus Pacis Publicæ Sec. XV. factis illud ipsis accidere non potuit, cum hæc illis in multis sint contraria. (p) Seculis sequentibus illa plane maxima sui ex parte, in quibus Lege aut consuetudine contraria nondum erant sublata, ab usu recesserunt. (q) Quod vero CULPISIUS etiam afferit, solere per gemeine Rechte Jura tantum Germanica intelligi, illud quidem, etiamsi ipsis de Sec. XVI. & XVII. tantum sermo esset, nobis nondum probatur. Sane unicus ille locus, quem ipse ex Ord. Cam. de a. 1555. afferit, hanc frequentiam non inducit. (r) Sed præterea CULPISIUS, ut palmarium argumentum, quod ad probandam Juris Romani receptionem proferri solet, penitus destruat, negat in formula juramenti Assessoribus in Ord. Cam. de a. 1495. præscripta sub nomine gemeiner Rechte Jus intelligi Romanum

(p) Unde gravissime errat CULPISIUS *cit. diff. §. 78.* sub formula gemeiner Rechte Jura Saxonica quoque & Suevica contineri afferens.

(q) Conf. HEINECCIUS *Hist. Jur. L. II. C. IV. §. 117. & seq.*

(r) P. II. T. 18. §. 2. quem huic jungit, T. 20. §. 1. huc non pertinet; loquitur enim von Hayßelchen Rechten, & illud tantum probat, quod quandoque ipsis Imperatores, incepis nonnullorum confitiis sedoisti, plane priscorum Cæsarum Fiscalia jura sibi competere existimaverint.

nus, ea ex ratione, quod hoc consensu omnium peritorum demum Sec. XV. & sic paulo ante dictam Ordinationem Cameralem receptum sit; unde ipse concludit, non posse vocari Commune Jus nuper admodum introductum. Verum præterquam, quod ex illa hypothesi hoc minime sequatur, nos meliora edicti superius ostendimus, Jus Romanum jam Sec. XV. expressa Lege a Germanis civitatis jure fuisse donatum. Non aliud enim Jus, quam Romanum, in Constitutione Ludovici Bavari per Kunig und Reisern, Vorvarn an dem Romischen Riche Gesetzen, und ire geschriebenen rechten denotari, vel ex eo patet, quod haec ibi Juribus patriis clare opponantur: quorum insuper variis naevi necessitatem recipiendi Juris peregrini imposuisse dicuntur. Jura sane Saxonica aut Suevica per ea non intelliguntur, multo minus autem Constitutiones Imperatorum Germanicorum. Antiquæ enim jamdudum non usum obliteratae his temporibus fere incognitæ erant; (s) in recentioribus vero adeo raro de privatorum juribus quid dispositum reperitur, ut absurdum esset statuere, eas in summo Cæsaris Tribunal, tanquam quæ dirimendis quibuscumque causis effectione, fuisse propositas. Accedit, quod cum illæ non a solis Imperatoribus qua talibus, sed ab his totius Imperii nomine conditæ fuerint, propriæ loquendo non potuerint appellari Kaiserliche Gesetze, potius Reichs-Constitutionen, Reichs-Abschied, Reichs-Schlüsse dicendæ fuissent. Jura Romana vero vel potius Justiniane rectius Kaiserliche Rechte vocantur, ut quæ lata fuerunt ab Imperatoribus legislatoria potestate absoluta gaudentibus. Cum itaque haec jam ante medium Sec. XIV. ad commune Germanorum Jus transferint, optimo inde jure illa Sec. XV. in Constitutionibus Imperii hoc titulo laudari potuerunt. Nam in Actis Comitalibus Noricis de a. 1438. &

Alber-

(s) Vide HEINECCIUM I.

Alberti II. Constitutione Pacis Publicæ ejusdem anni (t) per gemeine Rechte præter Canonicum Romanum quoque Jus intelligi, ex eo liquet, quod in priori loco, cum Jus Romanum in specie nominandum esset, mox distinctionis gratia addatur Cælareum, & dicatur das gemein Käyserlich Recht. Inde & nos minime miramur, jura Romana in dicta juramenti formula nomine gemeiner Rechten fuisse insinuata, quæ præterea ibi a Juribus patriis quibuscunque differtis verbis distinguntur. (u)

§. VII.

Quæ autem de formula gemeiner Rechte diximus, illa potiori adhuc ratione de formula gemeiner geschriebenen Rechten valent. His enim Jura quoque Romana contineri, Constitutiones Pacis Publicæ Ratisbonensis de a. 1471. & Augustana de a. 1474. collatæ cum Constitutione Pacis Publicæ Neostadiensi de a. 1467. clare docent. Quæ Jura nimurum Imperator modo geistliche und Käyserliche geschriebene Rechte appellavit, ea in illis nunc vocar gemeine geschriebene Rechte, eaque præterea non tantum consuetudinibus Germanorum (x) ipsa vi vocis geschrieben, sed & Juri scripto, Aureæ Bullæ Caroli IV. & Reformationi Francofurtanae de a. 1442. repetitis vicibus opponit, ut inde nos dubitare non sinat, sermonem ipsi esse de Jure Canonico & Romano. Ex hoc ipso autem cuivis nunc patebit, quod cum paulo post idem Imperator, in eadem prorsus re, nimurum in Constitutione Pacis Publicæ Francofurtana de a. 1486. nec non,

H qui

(t) Quæ loca jam superius adduxi Seç. I. Cap. IV. §. 3.

(u) Ratio autem, cur Jus Romanum das gemein Recht potius, quam das Römische Recht in publicis Imperii scriptis vocetur, vel in eo pondenda mihi videtur, quod Germani illud ab effectu magis, quam forma, denominare voluerint; vel quod illud non tam ut Jus Romanum, quam ut Jus Civile κατ' ἔξεγη̄ ita dictum, quo nomine adhuc hodie celebratur, quasi omnium Civitatum moratoriorum Commune Jus initio receperint.

(x) Sub quibus Jura quoque Saxonica & Suevica contineri docet THO. MASILIUS ad cit. diff. Epist. n. 9.

qui eum hac in parte sequuntur, Maximilianus I. & Carolus V. loco der gemeinen geschriebenen Rechten utantur formula der gemeinen Reichs Recht, non alia sub his quam Romana Jura & Canonica intelligi debeant, cum & ipse CULPISTUS (y) fateatur, Jura Romana, quæ semel recepta, recte omnino vocari deß Reichs Rechte. Putat tamen ipse quod saltem in his Pacis Publicæ Constitutionibus per gemeine Reichs Recht Jus Romanum intelligi nequeat, cum in eo nullæ hujus generis sanctiones reperiatur. Verum notandum, quod istis in locis non ad certas quasdam & singulare Pacis Publicæ Constitutiones provocetur, sed generalis tantum penarum mentio fiat, quæ violatoribus tranquillitatis publicæ infligi jubentur in denen gemeinen Reichs Rechten. Hoc autem respectu permulta utilissima suppeditare possunt Leges Romanæ tam ad judicii quam sententiae rationem saltem in genere instituendam. Juvat hanc explicationem egregie & illud, quod in dictis locis nunquam sola Jura Romana, sed conjunctim tantum cum Germanicis citentur, ut inde pateat, unum Jus ex altero esse supplendum, &, in quantum fieri possit, utrumque observandum. Quamvis itaque DATTIUS (z) admodum probabiliter conjiciat, quod istis in locis Imperatores primario respexit videantur ad Constitutiones Friderici I. de Pace Publica feudorum libris insertas, nihil tamen impedit, quo minus illos quoque secundario de Jure Romano in genere locutos dicamus, quatenus nimirum illud ulla sui ex parte usum hic aliquem praestare posset, praesertim cum Ipsi generali illa formula, qua, uti modo ex Ludovici Bavari Constitutione ostendimus, Jura Romana significantur, his in locis fuerint usi. His omnibus accedit, quod in Constitutionibus Imperii gemeine geschriebene Rechte & Kaiserliche geschriebene Rechte pro synonymis passim usurpentur, uti vel solum Edictum Regim. Nor. de a. 1521. Von Succession der Brüder und Schwestern Kinder ostendit. (a) Illud tantum addi-

(y) In cit. diff. §. 87. (z) De P. J. P. L. IV. C. L. n. 135. & 142.
(a) Jam Sigismundus Imp. in Reformatione superius allegata Kaiserliche oder geschriebene Rechte dixit.

addimus, **CULPISIUM** in quæstione, quam hic tractamus, sibi ipsi contrarium esse; modo enim sub formula gemeiner Rechte pro diverso respectu, uti ipsi quidem videtur, Jura vel Romana vel Germanica venire affirmat; modo vero hoc negat, & Jura Romana tantum sub ea contineri afferit. Quæ vero ipse argumento ex Constitutione Maximiliani I. contra blasphemos a nobis adducto opponit, partim mera figmenta sunt, partim ab ipso **THOMASIO** in notis abunde confutata.

§. VIII.

Quod ad Jus Canonicum vero attinet, fateor quidem, illud in scriptis receptione Juris Romani antiquioribus nomine gemeiner aut gemeiner geschriebenen Rechten posse occurrere. Verum postquam Jus quoque Romanum in Germania receptum fuit, nunc per Jus Commune & Scriptum rarissime Jus Canonicum tantum, plerumque vero utrumque Jus & Romanum & Canonicum intelligitur. Clare hoc præ cæteris ostendunt locus ex Actis Comitalibus Noricis de a. 1438. superius adductus, nec non Constitutio Caroli V. wider die Wiedertäuffer de a. 1529, in cuius principio die gemeinen Rechten tanquam genus opponuntur Juri Cæsareo seu Romano in specie, quod ex vocula fürnemlich, qua Imperator utitur, colligere licet, manifesto indicio, quod gemeine Rechte non Jus Canonicum tantum sed & Romanum complectantur. Aperius adhuc hoc perspicitur ex Ord. Jud. Aul. de a. 1654. ubi postquam in iis, quæ præcesserant, constitutum, ut Assessores secundum Jura Communia judicarent, nach den gemeinen beschriebenen Rechten, in fine tandem additur: Dass das Corpus Juris Civilis und Canonici, allezeit auf der Reichs-Hoff-Rathes-Taffel seyn soll, damit man sich derselben gebrauchen könne.

(b) Omnino autem in textu a nobis paulo ante addu-

H 2

ctorum

(b) Videatur omnino THOMASIUS *Cant. circ. præogn. Jur. Eccles.*
C. 21. §. 4. seqq.

storum nullo per gemeine geschriebene Rechte Jus Canonum tantum, sed vel Romanum tantum, vel utrumque denotatur.

§. VI.

In ipsis autem hisce locis, quæ modo latius recensuimus, Jus Romanum non per partes modo aut ex rationibus tantum particularibus probatum vidimus, quod nempe ejus decisio in hoc vel illo casu singulare suadente æquitate adoptata fuerit, sed tanquam quod generalem in Germania quoque actionibus singulorum regulam præscribat, Jusque commune ac proprie sic dictum constituar: ut adeo satis ex iis appariturum existimem, Reformationis Goldastinæ Artic. VII. omni semper caruisse effectu, & Jus Romanum non tantum, quotenus in casu speciali præjudiciis comprobatum, sed in universo omnino suo complexu pri-
flinam in Germania autoritatem nullo non tempore, invito licet Reformationis Goldastinæ autore, retinuisse ac conser-
vasse. Simul etiam exinde patet, verissimam esse sententiam eorum, qui cum SCHILTERO, (c) STRYKIO, (d) HEINNECCIO, (e) BRUNQUELLO, (f) aliquisque Legem Romanam alleganti fundatam intentionem tribuunt, ut inde non teneatur specialem ejus receptionem aut observantiam probare. Cum enim Jus Romanum in genere receptum sit, sequitur, pro receptione etiam in singulis ejus partibus facta tamdiu esse præsumendum, donec probetur, eam in una alterave parte factam non fuisse. (g) Ex ipsa tamen na-
tura

(c) In Addit. ad Exercitat. II. Licet autem ipse in eo utique fallatur, quod Jus Romanum non exprefsi legibus, sed usu tantum & obser-
vantia fori receptum dicat, non tamen inde sibi ipsi contrarius est, uti THOMASIO videtur in not. 55. ad CULIPSII Diff. Epist. §. 94. Talem enim observantiam SCHILTERUS intelligit, quæ notoria est, & ul-
teriore probatione non indiget; quod secus in observantia non notoria.

(d) In Diff. prel. V. M. P. §. 33.

(e) Hist. Jur. L. II. C. 4. §. 115. (f) Hist. Jur. P. III. M. II. C. 11.

(g) Falluntur itaque, qui cum Illustri CULIPSIO & THOMASIO ll. cc.
Jus Romanum in Germania titulo universali, si ita fas est loqui, rece-
ptum

tura receptionis Juris peregrini illa utique exceptio probe tenenda , quod ea in dubio , & ubi de contraria recipientium voluntateclare non constat, semper censeri debeat facta fuisse salvis legibus ac consuetudinibus patriis, quæ pristinam autoritatem etiam post illam retainent. Unde sponte sua sequitur, nec Jus Romanum in iis, quæ moribus ipsorum adversantur, aut patriis in legibus, diversa licet ratione, jam deciduntur, a Germanis fuisse receptum. Et quamvis Ludovicus Bavarus in saepius laudata Constitutione Jura Romana generaliter receperit, tamen adhuc illud minimus cum exclusione & abrogatione Juris patrii fecisse censeri debet. Quin plane etiam post Ludovicum Bavaram Judicibus mores patrios disertis verbis passim commendari videamus. Sic in Tabulis prorogati Fœderis Suevici de a. 1496. ratione appellationum ad mores primum cujusque loci, & his demum deficientibus, ad Jura Communia attendi jubetur. (b) Eundem ordinem distinctius adhuc prescribit Recessus Imperii novissimus : Benebens sollen Cammer-Richter, Präsidenten und Beysizere bey Administration der heylsamen Justiz so wohl die Statuta und Gewohnheiten, als die Reichs-Abschied und gemeine Rechten vor augen haben, und wohl beobachten. (i) Si quis itaque Legem Romanam in foro allegat, quæ vel moribus Germanorum notorie contraria est, vel de re disponit legibus aut consuetudinibus patriis jam decisa, is fundatam intentionem utique non habet,

H 3

sed

ptum negant, ipsique non nisi in casibus specialiter receptis autoritatem concedunt, in cæteris ejus usum scholis tantum & Academiis relinquentes. Distinctionem quoque, qua uititur CULPISIUS inter modum processus & ipsam sententiam hic fundamento omni carere, loca superius adducta satis demonstrant.

(b) Apud DATTIUM L. II. C. 14. p. 328. Ob Commun oder sonder Person vor Ihren ordentlichen oder andern gerichten färgenommen würden, soll es mit appelliren gehalten werden nach eins jeden gerichts herkommen, Freyheit, Rauch, und geruchheit: Oder wa der kains vor augen wär, innhalt gemeiner Rechten.

(i) §. 105. Adde Visitations-Abschied de a. 1713. §. 15. R. A. P. IV. p. 261. & Autores modo recensitos II. cc.

sed probare tenetur , eam specialiter contra leges & mores patrios fuisse receptam : quod nonnunquam factum fuisse legimus . Exemplum suppeditat Rec. Imp. Friburgensis de a. 1498. §. 37. ubi successio fratrū liberis secundum Juris Romani dispositionem asseritur Der Gewohnheit , so an etlichen Orten darwider sein möcht , unangesehen ; confirmata deinde per Rec. Imp. Augustanum de a. 1500. Artic. XIX. & speciale Caroli V. Edictum Noribergense de a. 1521. in cuius fine additur : daß ihr obgeschriebene Ordnung und Satzung in beyden gedachten Fällen getreulich hältet , darnach richtet , und dem nachkommet , und euch einige Gewohnheit noch anders , so darwider seyn möchte , nicht verhindern lasset .

CAPUT II.

REFORMATIO GOLDASTINA QUANTUM
AD ARTICULUM V. ATTINET EFFECTUM
NULLUM HABUIT.

§. I.

Superest , ut nunc etiam ostendam , Reformationis Goldastinæ Articulum V. in quo Doctores Juri omnibus Tribunalibus ejecti dicuntur , eandem cum Articulo VII. fortè expertum , omnique effectu destitutum fuisse . Et sane cum non obstante dicta Reformatione Juris Romani in Germania autoritas semper illibata perlitterit , per eam quoque non videbitur id fuisse effectum , ut ejus Doctoribus ulla tempore debitus denegaretur honos , aut saltem ita restringeretur , ut ne ad judicia quidem admitti possent . Plane ex innumeris iisque publicis testimoniosis cuivis rerum Germanicarum vel mediocriter gnaro plusquam satis constabit , quod Doctores Juris apud Germanos a tempore Reformationis Goldastina publice semper honorati , variisque titulis , muneribus , ac dignitatibus maxime conspicui nunquam non extiterint . Unde & nobis , ne Lectori in re omnium fere notissima tedium excitemus , potiora tantum adduxisse sufficiat .

§. II.

§. II.

Quod Doctores Juris jam Friderici III. ævo, & paucos post Reformationem Goldastinam annos summo Cæsariorum Tribunalii præfecti fuerint, clare nos docet sententia ab ipso hoc Imperatore a. 1472. publicata in sachen Caspar Neiprecht, Burgmann zu Gelnhäusen, in cuius principio ipse ita loquitur: *Wir Friderich von Gottes Gnaden . . . besinnen öffentlich mit diesem Brieff, das für unsrer Kaiserlich Cammergericht, so der Ehrwürdige Erzbischöff zu Mainz . . . mit same den Ersamen unsern Räthen der Rechtsgelehrten, und des Reichs lieben Getreuen besiehen hat, kommen ist rc. (k) Hoc in loco Fridericus III. JCtos non tantum honoris titulo contra CUSPINIANI tradita ornat, sed & Cæsareæ Cameræ Assessores vocat. Ipsum porro omnes hujus Cameræ Assessores ex Doctoribus Juris delegisse testantur Acta Comitialia Augustana de a. 1474. (l) Den 31. April besetzte er das Kaiserliche Cammergericht auf dem Danzhaus daselbst; da der Churfürst von Mainz Oberrichter, und die Beysitzer alle Doctores gewesen. Ordinibus vero Imperii in Comitiis Noricis de a. 1487. cum de instituenda Camera Imperiali deliberarent, jam placuisse legimus, ut dimidia pars Assessorum Doctores Juris esent: *yeder halb tayle der Recht gelehrt und gewidriget, und die andern uffs geringst von der Ritterschafft geboren seyn sollen. (m) Unde & Imperator mox in Comitiis Francofurtanis de a. 1489. graviter conquestus est, quod tot Assessores habiles inventire non potuerit: und allen fleiß fürfert ein zierliche anzale geselter und verstendiger Leut, mit denen Sein R. Maj. das heilige Reich, das Recht und menniglichen versehen wär zu besiehen, und**

(k) Apud GOLDASTUM R. S. T. II. p. 168.

(l) Apud FUGGERUM im Österreichischen Ehrenspiegel L. V. C. 22. m.

3. Adde eundem C. 41.

(m) Acta hæc Comitialia publicavit SCHILTERUS in Iust. Jur. Publ. L. V. §. 1. unde ea opere suo inferuit DATTIUS L. IV. C. I. n. 182. nonnulla eorum etiam prostant R. U. P. I. p. 278. seqq.

und der aber an Jr hilf mit gehaben mögen. (n) Hanc tamen difficultatem non ex paucitate aut inhabilitate Doctorum Juris in genere, sed eorum, qui huic præcipue muneri vel wellent vel ob alias rationes possent admoveri, ortam arbitror. Instituta itaque Camera Imperiali Maximilianus I. secundum deliberationes in antecedentibus Comitiis institutas similiter constituit, daß yeder halb tail der Vrtaile der Recht gelernt und gewürdiget; und der ander halb tail uf das geringest aus der Ritterschafft geboren sein sollen. (o) Idem deinde repetitum in Rec. Imp. Constantiensi de a. 1507. §. 15. & Ordin. Cam. Wormatiensi de a. 1521. Art. 1. in qua præterea Doctores Juris nobiles non Nobilibus expresse præferuntur: Und der ander halb Theil auf der Ritterschafft gebohrenen sey: auch der Recht gelehrt, sofern man die haben kan, vor andern; Ordinatio Cam. Augustana de a. 1555. plane loco Nobilium, si tot haberi nequeant, qui aliquali Juris peritia pollerent, Doctores Juris non Nobiles Cameræ præfici jubet. (p)

§. III.

Quod autem in Ord. Cam. Wormatiensi de a. 1495. & inde in reliquis quoque citatis textibus per der Rechten geslehte und gewürdigte Doctores Juris intelligentur,clare docet Ordin. Cam. Augustana de a. 1500. T. I. & clarius adhuc. Rec. Imp. Constantiensis de a. 1507. in cuius §. 15. ipse Imperator Maximilianus ita loquitur: Erstlich so sollen und wollen Wir solich Unser Cammergericht, wie das anfanglich uf Unsern erstegehalten Reichstag zu Worms geordnet und besetzt gewest, yzo wider mit einem redlichen und verstandigen Cammer Richter . . . und sechzehn Beysizern, darunder

(n) Apud DATTIUM L. c. u. §2.

(o) Ord. Cam. Worm. de a. 1495. §. 1. Inter eos plane, quibus Ordines electionem Aufforum demandaverant, erat Doctor Iora Pfeffer, Cankler, und Schatzmeister des gemeinen Pfennigs. Reichs Abschied und Gesche von dem Jahr 1495. M. A. P. II. p. 17. & 27. ubi etiam laudatus Doctor Lamparter.

(p) P. I. T. III. §. 2. Add. Rec. Imp. Spir. de a. 1551. §. 18.

der halbe Theil von redlichen, verständigen und gelehrten Doctorn oder Licentiaten in Jure beseken. Inde etiam Doctores Juris ipso actu judicio Camerali admotos fuisse patet ex Rec. Imp. Trevirensi & Colonensi de a. 1512. §. 23. & Rec. Imp. Spirensi de a. 1529. §. 36. In illo enim Doctor Dieterich von Pleinungen, & D. Fries, in hoc vero Doctor Batt Weydmann, Doctor Reinhard Tiel, Doctor Jacob von Landsburg, Doctor Caspar Mart, Assessores Cameræ nominantur. (q) Hoc ipsum autem adeo vulgatum est, ut adhuc hodie a multis dubitetur, utrum & alii, licet Jurium sint periti, ad Cameram Imperialem admitti debeant, si non sunt Doctores aut Licentiati Juris. Sed nullibi hic titulus in Assessorebus Cameræ de necessitate requiritur; illud tantum dispositum, ut per quinquennium in Universitate quadam Jurisprudentiae operam dederint. (r) Imo Rec. Imp. novissimus §. 28. hoc ipsum in tantum mutavit, daß nicht so stark auf das studium Juridicum quinquennale auf Deutschen Universitäten, sondern auf die Qualitäten, Geschicklichkeit und Experiens gesehen werden soll. (s) Illud autem probe ob ea, quae mox dicentur, velim hic notari, quod ipsi Status Imperii, non Principes tantum & Comites, sed & ipsæ Civitates Imperiales, in quibus tamen Reformatiōnē Goldastinam conceptam videri superius diximus, hos Doctores Juris per circulos nominaverint, inque Assessores Cameræ elegerint, uti patet ex Ord. Cam. Constantiensi de a. 1507. cuius in fine complurium Doctorum Juris nomina a Civitatibus Imperii in Assessores Camerales ele-

I etorum

(q) Add. Rec. Imp. Aug. de a. 1530. §. 82. & Ord. Cam. Spir. de a. 1533. Art. I. §. 5. ubi etiam in §. 1. inter Visitatores Camerales recensentur Johanna König und Baltazar Stummff Doctores; nec non in Reform. Jud. Cam. Spir. de a. 1531. in pr. Caspar von Westhausen Doctor Mayn- gischer Cancler; Etel Hans Rechberger Straßburgischer, und Hieronymus Bheus Baadischer Cancler Doctores.

(r) Reform. Cam. Spir. de a. 1531. §. 17. Ord. Cam. Aug. de a. 1555. P. L. T. III. §. 2.

(s) Consule etiam de hac mutatione differentem AUG. LEYSERUM. Meditac. ad Pandectas Spec. II. §. V.

ctorum occurunt. In Regimento porro Imperii Doctores Juris Assessorum munere functos ostendit Ord. Regim. Augustana de a. 1500. §. 5. Die andern sechs Personen, die von der Ritterschafft, Doctorn oder Licentiaten ic. (ss) Eandem ipsis quoque dignitatem in Summo Cæsaris Tribunali peperit Ordinatio Jud. aul. T. I. §. 1.

§. IV.

Verumenimvero non summa tantum Imperii Tribunalia, sed ipsa plane Comitialia negotia JCtorum fidei ac curæ demandata fuerunt, qui inde quoque frequentissimi in Comitiis comparuerunt, uti hoc abunde testatur Aetorum Comitalium Subscriptiones. Sic Comitiis habitis sub Friderico III. Norimbergæ a 1466. (2) jam subscriptissime leguntur Sifridus Plaghal Decret. Doct. Johan. Gemminger Decretorum Doctor. Johannes de Weisbach Doctor. Laurentius Blomenau Doctor. Johannes Kieberer Doctor. Burker Doctor. Johannes Locher Doctor. Martinus Mayer Doctor. Georgius de Absberg Doctor. Adolphus de Marcha Legum Doctor & miles. Johann von Osthäusen Doct. Decret. Subsignaverunt porro R. J. Worm. de a. 1497. Sebastian Hillfung, baider Recht Doctor. R. Regim. Imp. Nor. de a. 1501. Doctor Dietrich von Plesning. R. J. Aug. de a. 1525 Daniel von Nedwiz Doctor. R. J. Aug. de a. 1530. Lorenz Wilhelm der Rechten Doctor. R. J. Ratisb. de a. 1532. Conrad Metsch Doctor. Georg von Delsingen Doctor. R. J. Worm. de a. 1535. Caspar von Westhausen. R. J. Nor. de a. 1542. Leonhard Eck von Randeck der Rechten D. R. J. Nor. de a. 1543. Matthias Rasch der Rechten Doctor. R. J. Worm. de a. 1545. Georg Stockheimer der Rechten D. R. J. Aug. de a. 1551. Gregorius von Nallingen der Rechten Licentiat. Transact. Passav. de a. 1552. Melchior Drechsell Doctor. R. J. Aug. de a. 1555. Christoph von Haufen D. R. J. Spir. de a. 1557. Christoph Probst von Alzen Doct. Werner Koch und Jacob Kübel, beynde Doct. und Canthlere. Rudolph Chinger Doctor. R. J.

(ss) Add. Rec. Regim. Imp. Noric. de a. 1501. §. 13. seqq. ubi laudatur Doctor Ludovicus Bergenthal; necnon Ord. Regim. Worm. de a. 1521. §. 20.

(2) R. II. P. I. p. 215.

R. J. Worm. de a. 1564. Johann Jacob Han der Rechten Doct. R. J. Erfurt. de a. 1567. Andreas Zoch Doctor. Augustin Baumgärtner. D.R. J. Francof. de a. 1569. Johannes Rahm der Rechten Doctor. R.J. Spir. de a. 1570. Rudolph Halffer Doctor. Johann Meissner D. R. J. Francof. de a. 1571. Gerhard Pastor der Rechten Doctor. Ulrich Sintzinger der Rechten Doct. Gall Hager, Georg Nockenbach beyder der Rechten D. R. J. Ratisb. de a. 1576. Leonhard Hager der Rechten Doct. R. J. Ratisb. de a. 1598. Johann Geilkircher beyder Rechten Doctor. Gall Müller der Rechten Doctor. R. J. Spir. de a. 1600. Ludwig Culman der Rechten Doct. Leonhard Zindecker der Rechten D. Beatus Moles der Rechten Doctor. Johann Michael Croneburger der Rechten D. R. J. Ratisb. de a. 1641. Johann Christoph Melzer Doct. Jo- han von Leuchselring Doct. Friedens Execut. Rec. Nor. de a. 1650. Augustus Carpzovius D. Valentin Heyder D. Zacharias Stenglin D. R. J. noviss. Johann Krul der Rechten Doctor. Johann Vitor Doctor. Quin plane nonnullos Doctores Ju- ris Vice-Cancellarii munus in Comitiis obiisse complurium Recessuum Imperialium Subscriptiones aperte doceant. Sic hoc nomine Jo. JONAS D. subscriptis R. J. Aug. de a. 1555. R. J. Ratisb. & Spir. de a. 1557. JOHANNES BAPTISTA WEBER D. R. J. Worm. de a. 1564. R. J. Spir. de a. 1570. Edict. Monet. de a. 1571. & R. J. Ratisb. dea. 1576. ULRICH ZASIUS D. R. J. Aug. dea. 1566. SIGISMUNDUS VIEHEUSER D. Ref. Polit. Francof. de a. 1577. Johann Söldner D. R. J. Ratisb. dea. 1641. Wilhelm Ströder D. Mand. Execut. de a. 1648. & 1649. Jam in Comitiis Lindaviensisibus a. 1497. laudatur Conrad Stürzel Doct. Königl. Majest. Hoff- und Tirolischer Canzler, Ritter. (zz)

§. V.

Eandem JCtorum in Comitiis frequentiam uberrime por-
to comprobant Catalogi Legarorum Comitium Recessibus
Imperii in Codice Recessuum subjuncti. Sic unico Recessui
Imperii novissimo ad usque C. fere Doctores Juris adfuisse
leguntur. Imo plane ipsæ illæ Civitates, Norimbergensis &
Vindelico Augustana, quas tamen Doctoribus Juris minus

faventes testimonia superius producta loquuntur, non dubi-
tarunt ipsos suo nomine ad Comitia Imperii ablegare, eo-
rumque fidem in gravissimo hoc sequi negotio. Ne autem
ullum hac de re dubium remaneat, opera et premium videtur, ut
istarum Civitatum Legatos Comitiales, Doctoris titulo orna-
tos, in Catalogo hic exhibeamus, quibus & eos adjunxisse in-
gratum forsitan non erit, qui Civitatis Argentoratensis man-
dato Comitiis Imperii olim adfuerunt. (u)

LEGATI

Ad Comitia. Augustiani.

	<i>Norici.</i>	<i>Argentinenses.</i>
Lindav. de a. 1497. Conn. Peutinger. D.	—	—
Spir. de a. 1526.	Joh. Müller. Lt.	—
Worm. de a. 1535. Balth. Langenau. D.	—	—
Ratisb. de a. 1541. Conn. Helin. D.	—	—
Spir. de a. 1542. Idem.	—	Lud. Gremp. D.
Nor. de a. 1543. Luc. Ulstetter. D.	—	—
Worm. de a. 1545. Nic. Mayr. Lt.	—	—
Aug. de a. 1551. Chrift. Rehlinger. D.	—	—
Aug. de a. 1555. Idem.	Chrift. Gugel. D.	Idem.
Ratisb. de a. 1557. Idem & M. Zimmermann D.	Idem cum fratre D.	Idem.
Spir. de a. 1557.	Chrift. Kozler. D.	—
Worm. de a. 1564.	Ge. Roggenbach. D.	—
Aug. de a. 1566. Peutinger & Tradel. DD.	—	Idem D. & Advoc.
Ratisb. de a. 1567. Ge. Tradel. D.	—	B. Botzheim. D. & Advoc.
Francof. de a. 1569.	Abr. Löschen D.	—
Spir. de a. 1570. Peutinger D. & Advoc.	—	Lud. Gremp. D.
Francof. de a. 1571.	Ge. Rockenbach D. & Nathgeber.	—
Aug. de a. 1581.	Joh. Hörel. D. & Nathgeb. P. Hochfelder. Lt. & Synd.	—
Ratisb. de a. 1594.	Tradel cum fratre D. & Adv.	Chrift. Kreiff. D. & Advoc.
Ratisb. de a. 1598.	Breitschwerdt & Kager. DD.	—
Spir. de a. 1600.	—	—
Ratisb. de a. 1603.	Cammermeister & Held.	—
Ratisb. de a. 1613. Weinhard. D. & Adv.	DD. AAdv. & Nathg.	St. Brechtold. D. & Adt.
Ratisb. de a. 1613. Müller. D.	—	Christ. Olahafen. D. und Idem.
Ratisb. de a. 1641. Henr. Schütz. D. & Advoc.	—	Nathgeb.
Ratisb. de a. 1654. Schreiber & Kolb DD.	Will. Ludwell. D. & Conf.	MARCUS OTTO D.
	& Nath& Confulentia.	Nath und Advocat.

(u) Plurim Doctorum Juris in Civitate Norimbergensi & Argentinensi
publicis munieribus defunctorum nomina magno numero recenset GE.
CHRISTOPH. WALTHER. in *Dedicatione Tract. de Stat. Jur. & Privil.*
Doct. Adde eundem Cap. 23. p. 507 seqq.

§. VI.

Quum itaque Doctores Juris post Reformationem Goldastinam nunquam desierint supremis præfici Imperii Tribunalibus, quin plane summa Reipublicæ negotia iis passim in Comitiis, etiam ab ipsis Civitatibus Imperialibus, quæ eorum dignitati alias minus favisse dicuntur, concredita fuerint; inde non video, cur iidem unquam indigni haberi debuissent, qui in inferioribus judicis Advocati aut Judicis munere fungerentur. Ut adeo vel ex his satis pateat, Articulum V. Reformationis Goldastine ne in Civitatibus quidem Imperialibus aliquem effectum fuisse consecutum: cum & ipse Catalogus, quem modo dedimus, hoc luculentiter testetur, utpote in quo complures ex Doctoribus memoratis dicuntur fuisse Advocaten/ Rathgeber/ Consulentes. Quod vero in Camera Imperiali Advocatorum quoque & Procuratorum vices plerumque & ordinarie gesserint Doctores & Licentiati Juris, formulæ Mandati Procuratorii in Comitiis Spirensibus a. 1570. conditæ (x) perficie tradunt. Imo Electoribus ac Principibus Imperii, quibus ab aliis lis quædam movetur, in Ord. Cam. Wormatiensi de a. 1495. §. 30. disertis verbis præceptum legimus, ut judicii hanc ob causam instituendi Aſſeflores ex Nobilibus & Doctoribus deligant: soll der erfordert Churfürst, Fürst oder Fürstmäſtis neu einer treſſenlichen Räte an seinem Hof zu recht nyber ſegen, die aus dem Adel und aus den Gelehrten genommen werden sollen. Cum denique JCtorum in Germania nomen jam Sec. XV. ad eum usque dignitatis gradum pertigisse conſteret, ut etiam Doctores & Licentiati Juris in Comititalibus Decretis ipsis plane Equitibus ac Nobilibus ſubiinde fuerint exequati, (y) inde indubie conficitur, ipsis a nullo quoque munere

(x) R. U. P. III. p. 315. seq.

(y) Hoc præcipue ratione veltitus jam factum in Rec. Imp. Aug. de a. 1500. Tit. 23. §. 6. R. U. P. II. p. 79. Item Bürger in Städten, die nicht vom Adel, Ritter oder Doctores sind, sollen kein Gold, Berlin, Sammet, Schalach, Seden, noch Zöblin oder Hermlin Tutter tragen. Add. ejusdem Rec. §. 5. 7. & 8. quod ipsum deinde in Reform. Polit. Aug. de a. 1530. Tit. 15. & 17. & de a. 1548. Tit. 12. nec non Francoſ. de a. 1577. Tit. 12. in tantum confirmatum fuit, ut nunc Doctores, citatis in locis, peculiaribus etiam capitibus a reliquo civibus non Nobilibus quibuscumque separarentur. Porro in Ord. Regim. Aug. de a. 1500. Tit. 17. Doctores & Licentiati Juris, qui membra effent Regimenti Imperii, Equitibus Nobilibusque in iis, quæ ad pompa externam faciunt, penitus exequantur: Auch sollen die gemelte Personen, und ihrer jeder mit einer siemlichen Anzahl Pferd und Knecht, Uns und dem heiligen Reich in Ehrn. und mehrer Anſicht, gerüst fern. Nemlich ein Graf oder Herr sechz Vperot, ein Prelat, Edelmann, Doctor oder Licentiari, auch jegliche, fo von der Stadt wegen da sind, vier gerüſter Vperdt. Add. Rec. Imp. Trev. & Colon. de a. 1512. P. II. §. 11. Eodem plane modo Doctoribus & Licentiatis Juris, Camera Imperialis Aſſef.

munere aut officio, cui aliquid inesset dignitatis decorisque, ex eo saltem tempore unquam fuisse exclusos.

§. VII.

Hec sunt argumenta potiora, quibus Reformationis Goldastina, quam ipsa mentitur, fidem impugnari ac everti posse confidimus. Insigne autem iis omniibus robur & ultimum quasi punctum addunt Editores Recensuum Novissimi, qui, excusis licet plerique Antiquitatis Germaniae, & imprimis Caucularia Moguntina scrinii, ne Jota quidem hac de Reformatione invenerunt, cuius alias vel aliquam faltem in hoc suo opere mentionem fecerint, principie in Introductione ad Historiam Recensuum, ubi etiam dubias, quae quounque demum argumento nituntur, Constitutiones commenmorant: ipso hoc silentio non obscuris nobiscum fatentes, publicis Imperii Actis eam minime esse accensendam, & perperam omnino GOLDASTUM, ut foetum hunc monstrum legitimaret, ad ista provocasse. Sileant itaque in perpetuum, quicunque fictitio hujus Reformationis prefidio freti JCtorum & Juris Romani in Germania autoritatem crebris lactentis conviciis obrue, & tantum non penitus eliminare, vano licet irritoque conatu, tentarunt: neque porro quisquam in evolenda Historia Juris Romani occupatus fucata Legis publice forma offendatur amplius aut decipiatur in posterum. Te vero, Benevoli Lector, ut, qua haec tenus pro tuaunda JCtorum & Juris Romani in Germania autoritate vel bene vel minus forsan recte a me dicta fuerunt, aqua excipias humanitate, enixius rogo; siquid tamen exinde Tuis rebus acceperit lucri, illud me scias totum curis debere Consult. Praefidis, quem & in hoc qualicunque spe- cimine Auctorem, Ducem habuisse atque Comitem publice lector.

Affilioribus, idem cum Equitibus ac Nobilibus salaryum constitutorum legimus in Ord. Cam. Aug. de a. 1500. Tit. 1. Das hinsichtlich unsfern Cammer-Richter fünfhundert, einem Grafen oder Herren, der ein Beyfitzer ist, sechshundert, und einem Doctor, Licentiaten, Ritter oder Edelmann Jährlich vierhundert Gulden gegeben und entrichtet werden sollen: repetitum postea in Ord. Cam. Worm. de a. 1521. T. 8. & August. de a. 1555. P. I. Tit. 43. De Nobilitate Doctorum Juris apud Germanos vide omnino latius differentem ITTERUM De Grad. & Hon. Acad. Cap. 10. & 11. & AUG. LEYSERUM Mediat. ad Pandectas Specim. II. §. VI.
NOTA. p. 37. n. p. leg. ITTERUS l. c. & HERTIUS Paroem. Jur. Germ. P. L.

ULB Halle
005 039 479

3



B.I.G.

Black

Farbkarte #13

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Q. D. B. V.

VINDICIAE HISTORICO JURIDICA^{E 44}
JURIS ROMANI ET ICTORUM
IN GERMANIA
CONTRA

REFORMATIONEM

DE ANNO MCCCCXLII.

FRIDERICO III. IMPERATORI
ADSCRIBI SOLITAM,
QUAS

DIVINIS SUB AUSPICIIS,

P R A E S I D E

VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO
ATQUE EXCELLENTISSIMO

DN. JOHANNE MARTINO
SILBERRADIO,

INST. IMP. PROF. PUBL. ORD. CELEBERRIMO,
CAP. THOM. CANONICO MERITISSIMO,
P R A E C E P T O R E AC P A T R O N O S U O

PIE COLENDO

IN ALMA ARGENTORATENSIMUM UNIVERSITATE

AD D. XVII. JUNII A. O. R. MDCCXLIX.

SOLENNITER ASERENDAS

PROPONIT

JOH. REINHARDUS KUGLER

ARGENTINENSIS, AUCTOR.

H. L. Q. C.

ARGENTORATI,

Typis MELCHIORIS PAUSCHINGERI, Typogr.

